IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS DE QVORVNDAM ARISTOTELIS DECRETORVM & ſententiarum infirmatione ac reprehenſione liber.

Eiuſdem Iuſtini quæſtiones Gentibus poſitæ.

Ioachimo Perionio Benedictino Cormæriaceno interprete.

Ad D. Philibertum Baboüm Engoliſmenſem pontificem.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud Iacobum Dupuys, ſub inſigni Samaritanæ, è regione collegij Cameracenſis.

1554.

Cum gratia & priuilegio.

IOACHIMVS PERIONIVS BENEDICTINVS CORMOERIACENVS D. PHILIBERTO BABOO *Engolismensi pontifici* S. P. D.

IVSTINVS *quidem clarissimus & philosophus & martyr pro suo in Christum studio atque amore singulari, posteà quàm illius concessu ac munere ab omni errore tandem aliquando liberatus fuisset, mihi cum omni hominum à disciplina nostra abhorrentium genere acerrimas gessisse inimicitias videtur, eorúmque sententias atque decreta & oratione & scripto refellisse: sed cùm philosophos omnes ex omnibus maximè sibi reprehendendos censuisset, Aristotelem tamen sibi delegisse potissimùm videtur, in quem omnes acerbitatis seueritatísque suæ aculeos emitteret. Neque enim satis habuit, in eum in Paranetica oratione ad Gentes acriùs quàm in Platonem facta etiam eius mortis quã nonnulli commemorant, mentione, inuadere, nisi propriè in illum libros scriberet, quemadmodũ etiã Photius literarum monumentis mandauit. Eum quidem ad hanc venisse disputationem alia re impulsum, nisi magno in religionem nostram studio, nec mihi, nec cuiquam alij fas esse dicere iudico: eundem autem in Platonem proprium volumen nullum scripsisse, miror: præsertim cùm pleraque Platonis decreta non minùs quàm illa Aristotelis à disciplina Christianorum discrepent. Vt enim à religione nostra aliena est mundi, motúsque & temporis vtraque ex parte æternitas, quam Aristoteles posuit: sic hominum secundus ortus, animorúmque improborum ad corpora quæ suis bestiarúmque aliarum figuram imitentur, reditus, bonorúmque omnium ac mulierum communitas, sexcentáque alia eiusdem generis, quæ Plato inducit, ei planè apertéque aduersantur. quin si vtraque inter se conferantur, magis contra naturam hæc, quàm illa esse videbuntur. Etenim si, id quod coëgisse veteres Censorinus dicit, vt formas generáque rerum æterna esse concederent, & ex eo etiam mundum, proposito, exempli causa, gallo gallinaceo siue gallina, atque ouo, quæratur vtrùm in suo genere antiquius sit: quis est qui detracta sublatáque religione nostra, quæ aues primùm effectas esse profitetur, alterutrum respondens, non statim ab eo qui quæstionem posuerit, refellatur sic, vt quod prætereà afferat, quod quidem sit probabile, non habeat? Quod de maribus & feminis omnium generum eodem modo iudicandum est. At verò mulierum, bonorúmque illam quam inducit Plato, communitatem, secundúmque hominum ortum, atque animorum in pecudum corpora migrationem, detracto etiam fidei nostræ quasi lumine, continuò natura respuet, atque detestabitur. Quæ quidem duo, id est, maiorem in Platonis disciplina à religione nostra ipsáque natura discrepantiam, & præterea maiorem talium decretorum in eadẽ numerum, maiores nostri sequuti, vt mihi videtur, Platonicorum disciplina planè repudiata, Aristotelicam in hac omniũ principe academia & comprobauerunt ipsi, & à suis probari retinerique voluerunt. Est enim profectò is Aristoteles, qui vnus ex philosophis omnibus & proximè accesserit ad disciplinam nostram, & paucissimis ab ea decretis discesserit. Nec verò hæc ita dico, quasi vel Aristotelem vnum probandum, vel Platonem omnino re-*

pudiandum explodendúmque censeam: aut Iustini factum reprehendendum, qui in Aristotelem libros scripserit, & in Platonem non scripserit: sed iustæ admirationis meæ causas rationésque hoc loco volui exponere, ne libri huius lectione alij à legendo Aristotele magis quàm à Platone deterreantur. Neque enim si in Aristotelem libros scripsit, in Platonem non scripsit Iustinus, propterea maior est in Aristotele, quàm in Platone causa detestationis. Quin etiam hoc verè possum dicere, Aristoteleos si velint (quoniam suis tantùm rationibus, atque principiis eum Iustinus hoc loco refellit, neque enim alieni à religione nostra homines scriptorum diuinorum testimoniis vrgeri possunt) facilè posse ad ea quæ contra eum, sublata religione nostra, valere vult, respondere: cùm præsertim nulla sit adeò debilis maléque instituta disciplina, cuius homines principis sui decreta defendere nõ posint. Hunc autem librum vt in tuo nomine edere voluerim, & philosophiæ Aristoteleæ, Theologiæque scientia quæ in te est, fecit, & Græcarum literarum cognitio qua es præditus. Atque vt verè fatear, eò me adduxit & quasi incitauit sponte currentem cõmunis patria Turonia, coëgitque singularis tua humanitas, quam præ te tulisti anno superiore, tum cùm Cormœriaco iter faciens, ad me venisti, & quid agerem, aut scriberem, inspecta etiam bibliotheca nostra percontatus es. Itaque cùm etiam atque etiam ex eo tempore mihi videndum censerem, ne ingratus iure ac meritò dici posſẽ, non committendum mihi putaui, vt B. Iustini opera quæ post illud tempus prima conuerti in latinum, diuulgarem, quin aliquod opusculum ad te mitterem. Accipies igitur, dum maiora efficiam, eo animo hunc libellum, quo soles ea quæ ab iis proficiscuntur, quos tibi & bene cupere, & officia quæcunque tibi grata esse sciant, libenter præstare intelligis: quod vt facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiæ Parisiorum v. Idus Quintiles. M. D. LIIII.



IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS DE QVORVNDAM ARISTOTELIS DECRETORVM & ſententiarum infirmatione ac reprehenſione liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

A EORVM quæ humano ſtudio Dei cultus cauſa ab hominibus præclarè geruntur, nihil eſt Deo tam gratum & acceptum, quàm dare operam pro ſua parte, vt homines meliores euadant. Hoc quidem in te ſtudium, Paule, quoniam vehementer ardens eſſe intellexi, libenter tibi morem geſſi, pręcipienti, vt breuiter tibi Gentium de Deo & natura creata ſententias ſelectas exponerem, non quidem vt veri aliquid ex iis cognoſcas (quî enim tu, qui è cælo ab ipſo naturæ creatæ effectore Deo à prophetis de iis rebus traditam doctrinam habeas?) ſed
B vt cognoſcas Gentes non ſcientia quæ ad demonſtrandum valet, quà ſe de Deo creatáque natura differere profitentur, id perfeciſſe, ſed probabili ratione ſuam explicaſſe ſententiam. Hominum qui de Deo creatáque natura diſſeruerunt, partim ab ipſo naturæ creatæ parente Deo doctrinam diſciplinámque de Deo creatáque natura perceperunt per prophetas qui huius rei cauſa Dei adminiſtri fuerunt, quos primùm diuinis operibus quę ab eis perfecta ſunt, dignos & idoneos quibus crederetur, declarauit: deinde ita demum de iis rebus quę iis qui docebantur, obſcurę erant, diſciplinam tradidit: partim cùm prophetarum verbis fidem non habuiſſent, ſuis cogitationibus notitię Dei tribuerunt inuentionem. Ac illorum quidem ratione & ſententia, qui Dei creatæq; naturę diſtinctionē
C ac diſsimilitudinem ex diſciplina Dei cognouerūt, vnus eſt Deus, qui vtroque priuationis originis modo caret origine: Deum autem aut deos nec priores, nec poſteriores habuit, nec eiuſdem ęternitatis habet vel ſubiectum ſibi vel contrarium, habétque & eſſentiam ab omni interitu liberam, & actionem non impeditam: totiúſq; mundi eſt opifex, qui principiū habet vt & ſit & aliquid ſit, & quomodo permaneat, illius voluntatem. Nam aut ab interitu partes mundi liberę ſunt, vt cęlum, vt res cęleſtes, vt virtutes & mentes quę ſub aſpectum non cadunt: aut oriuntur & intereunt, vt ea quę in terra ſunt, & animalia, & quę ex illa oriuntur. Atq; vt id quod effectum & ortum eſt, nunquam extitiſſet, niſi ille iuſſiſſet, Fiat: ſic neque
D permaneret, niſi idem pręcepiſſet iis quidem quę non intereunt, vt ſemper ſtarent, iis autem quę oriuntur & intereunt, Creſcite & multiplicamini, & implete terram. Idem vt vim ſuam diuinam declararet, ſéque non legi naturę parêre, ſed pro volūtatis ſuę authoritate ac poteſtate quod ſibi videatur efficere, ea quidem quę genera naturę eorum quę oriuntur & interūt, Gen.I.

Propagauerũt ex terra & aqua fecit, cùm ita iussit, Proferat in lucẽ terra omnem animã viuentẽ generatim, & plantas in se ipsis semẽ cõtinentes, lignáque fructũ ferẽtia: Et rursus, Proferat in lucẽ aquę animã viuentẽ generatim. ea autẽ quæ ex principiis generum orta sunt, ex seminis iactu & quasi satione oriri voluit. Ac de his quidem prophetarum qui ad homines missi sunt, eadem fuit semper sententia, nec vlla fuit inter eos dissensio. Quod autem ad eos attinet, qui prophetarũ repudiatis improbatísq; libris, cõiectura sua & verisimili oratione de Deo creatáque natura quod sentirent exposuerunt, magna est quędam & aliorum ab aliis, & ipsorum à se de eorum quæ sunt, eorúmque principiis & essentia, & numero, & motu, & fine discrepantia. Id quod ex primo Aristotelis de natura libro intelligitur. atque illud etiam, nihil eum verè de iis rebus dicere, quas explicandas explanandásque susceperit. A B

Ex primo Aristotelis de natura libro.

Semper enim aliquid subest, ex quo id fit quod oritur, vt ea quæ terra ex se fundit, & animalia ex semine procreãtur. Eorum verò quæ omnino fiunt, partim informatione efficiuntur, vt statua ex ære: partim accessione, vt ea quæ augentur: alia detractione, vt ex lapide Mercurius, siue statua: alia compositione, vt domus: alia commutatione, vt ea quorum materia mutatur. C Quæ autem ita fiunt, perspicuum est ex subiecta materia effici. Ex iis igitur quæ dicta sunt, perspicuum est, omne quod fiat, semper esse concretum, atque esse quidem aliquid id quod fiat, esse autem aliquid id quo illud efficiatur: atque id duplex, nam aut res est ipsa quæ subest, aut cõtrarium. Contrarium autem id quod musicæ expers est, subesse autẽ hominẽ dico. Si primùm est id quod semen serit, deinde id quod ex semine procreatur, & vtrumque oritur, & ortui quidem eius quod ex semine nasci positum est, semen subiicitur: eius autem quod semen seuit & effudit, ortui substerni semen non potest: non igitur semper animalia atque ea quę terra edita sunt, ex semine nascuntur. Præterea si animal vtrunque oritur & quod serit, & quod ex semine nascitur, nec vtrunque ex eodem subiecto, D sed alterum ex semine, alterum non ex semine: quid causę est, quin falsum sit, semper ex semine nasci animantia? eadem est etiam eorum quę terra ex se fundit ratio. Iam si eius quod ex semine nascitur, principiũ est id quod semen fundit, & ignotum est hoc, neque est explicatum quid sit in libris Aristotelis quos de natura scripsit: cur hi libri scripti sunt, cùm principium primi animalis, eiúsque quod primum ex terra ortum est, ignoretur? ex principij enim ignoratione, eorum quæ ex principio orta sũnt sequitur ignoratio. Si animal est, quod semine nascitur, & id natura nascitur, perspicuum est, si idem animal nascitur illud quidem, sed non semine, id non natura oriri. E Dicant igitur Aristotelei ex quo oriatur animal, quod nõ natura gignatur. Prętereà si distinctione & differẽtia ex ortu animalis ita data, vt aliud sit quod semine & natura nascatur, aliud quod nõ ex semine nec natura, necesse est terminatam finitámque esse rerum originẽ: cur Gẽ-

tes

A tes animantia & ea quæ ex terra oriuntur, æquè ac Deū carere principio asserunt, quæ & natura orta sint, nec simul eodem tēpore quo primum animal & id quod primum terra editum, est, esse possint? Præterea si omne quod oritur & fit, semper concretum est, cur genus eorum quæ concretione compositionéque fiunt, propria generis differentia ab aliis ortus generibus modísque distinxisti? Si enim omne quod fit & oritur, cōcretum est, concretione oriatur atque fiat necesse est. Atqui si genus ortus qui cōcretione existit, omni ortui cōuenit, superuacanea & redundans est eius à cęteris generibus quæ propria differentia facta est distinctio. Præterea si ea quæ originibus quæ expositæ sunt, subiiciūtur, essentiæ sunt, & in ipsis du-
B plex eius quod subiicitur genus cernitur, id est, & quod subiicitur, & cōtrariū, nec materia est essentia, quomodo ortus eorum quę ex essentia oriuntur, genus, generi originis eorū quæ non ex essentia oriuntur, cōuenit? Necesse est igitur aut materiam in essentiarū numero esse, aut alio modo originis præter eos, qui expositi sunt, oriri & fieri ea quæ ex materia oriantur. Quoniā autem in libris de Natura constitutum est ac definitum, materiam nō esse in essentiis, genúsque originis eorum quæ ex ipsa fiunt, nō est traditum, quid afferri potest, quin hi libri superuacanei sint, in quibus de eo quod apertum est, ambigitur? Præterea si vt necesse est naturę atque arti non ex quouis quiduis facere, sed ex certis atque definitis certa,
C sic etiam Deo ex certis certa facere necesse est, quis est qui Deo hunc finē ac terminum constituit? Perspicuum est autem, hunc terminum naturæ & arti à Deo esse constitutum. Quòd si Deus termino nō subiicitur nec cohibetur, sed quæuis ex quouis facit, qui termini legísque necessitate nō impediatur, quo minùs quæ velit, faciat, quid est quamobrem nō etiam à lege terminóque faciendi necessariò ex iis quæ subiecta sunt, liberatus sit?

Ex eodem eiusdem Aristotelis libro.

Subiectum autem numero vnum est, specie duo. Homo enim & aurum & vno nomine materia, numero cōprehenduntur, quippe cùm res sit quę-
D dam ex singulis magis, nec aduentitia vi ex ea id quod oritur, fiat. Priuatio autem & repugnantia aduentitium quiddam est, vnū verò species atq; forma, veluti ordo, vel musica, vel aliorum quę dicuntur, quippiam. Itaque & duo principia, & tria, & contraria eadem dici possunt, vt si quis dicat id quod musica præditum est, & quod non est præditum musica, vel id quod calidum est & frigidum, vel id quod modis constat, & quod iisdem caret. Interdū autem dici non possunt. Fieri enim non potest, vt alia ab aliis vltro citróque contraria patiātur. Sed hoc etiam explicatur, quòd aliud subiectū est, hoc enim cùm cōtrariū nō sit, fit, vt nec plura sint cōtrariis principia, sed duo numero: neq; rursus planè duo, quòd alterū sit eorū ratio, sed
E tria. Si id quod substernitur, numero quidē vnū est, specie autē duo, à quibus vnū vni subiici debeat, quid afferri potest, quin id quod subiicitur, ipsū sibi subiectū sit? Si hoc fieri nō potest, quid causę est, quamobrem non falsum sit, duo specie id quod subiiciatur, esse? Pręterea si quid eorū quę fiunt

ſemper,ſubiici oportet,atque id materia eſt,quid afferri poteſt,quin materia ſemper oriri poſſit, atque generari?prçſertim cùm vni contrariorũ ſubiecta ſit.Nã aut priuationi ſubiicitur,aut formę quę eſt priuationi contraria,ſpecieq; formoſa efficitur, informis pruatione.Quid eſt igitur,quãobrẽ materia non ſit eſſentia quæ generari orirí que poſſit,cùm ſemper ſtatum ad originem recipiendam accommodatum habeat?Præterea ſi priuatio aliud eſt nihil,niſi omnis eius quod eſt,detractio, eáque ineſt in materia, quid cauſæ eſt,cur non etiam ipſius ratio,qua materia eſt,detracta ſit?Prętereà ſi abſente materiæ forma,abeſt etiam eius ratio à qua habet vt ſit eſſentia,nec ipſa in ſingulis rebus eſt,nec in iis quæ ſunt:nullo igitur in loco materia eſt,eius detracta ſublatáque forma.Prætereà ſi numero cõprehenditur materia,neque ea quæ illi conueniunt & occidunt, numero cõprehenduntur:quomodo tria ſunt principia,materia & quæ ei accidunt? Si nihil eorum quæ in naturarum conglutinatione concretionéque fiunt, ex materia nec quale,nec quantum eſſe cognoſcitur,quî ex ea fiunt per ſe, quæ fiunt omnia? Si fieri non poteſt,vt aliquid ſit quin ſit etiam in rebus ſingulis,quî fit,vt materia,quæ priuationis vi in rebus ſingulis non eſt,eſſe dicatur?Si priuatio atque forma, materiæ aduentitiæ ſunt, nec materia eſt in eſſentiis,cur ei contraria conueniunt?Eſſentiæ enim cõueniunt accidentia. Si vt ordo in iis quæ ordinata ſunt ordinéque conſtant,ineſt,ſic forma ineſt in materia:quî fit,vt ea quidem quę ordine carent,ante ordinem ſint in rebus ſingulis,materia autẽ ante formę aduentũ in rebus ſingulis non ſit?in materia enim ordinis ratio, quam ad formam habet ſeruatur.Si in iis quę conglutinatione & cõpoſitione fiunt, duo tantũ principia cernuntur,materia & forma, & extra compoſitionem tria principia ſunt,materia,priuatio atque forma,perſpicuum eſt eius quod fit nõ extantis, tria fuiſſe poſita principia, extantis autem eiuſdem non tria, ſed duo fuiſſe.Cur igitur non eſt id quod fit,interitus vnius principij principium, quod niſi interiiſſet,nũquàm id quod fit extitiſſet?Si vt homo ab eo quod muſica prædítum eſt,& ab eo quod eius expers eſt,patitur,corpuſq; à calore & frigore, &vox à concentu,& à vacuitate à concentu, ſic materiæ à forma priuationéque idem accidit, ſit materia in eſſentiis,vt homo, atque corpus,aut accidens vt vox,vt analogiæ conſequentia ſeruetur.Si verò nec eſſentia eſt materia , nec accidens , nec igitur patitur & accipit à contrariis.

Ex eodem eius libro.

Et 7.cap. paulò infrà. Ac illud quidem docuimus,quot ſint,& quomodo tot ſint principia,eorum originis,quæ naturæ ordine oriuntur.Illud etiam perſpicuum eſt,aliquid contrariis ſubiici oportere,& duo eſſe contraria. Alio autem modo non eſt neceſſe.Contrariorum enim in altero ſatis magna vis erit,vt præſentia abſentiáque ſua mutationem faciat.Natura verò quæ ſubeſt, ex ſimilitudine cognoſcenda eſt.Quam enim rationem æs ad ſtatuã habet,vel lignum ad cubile,vel ad aliquid aliud eorum quę formam habent:eádem materia & quod forma caret antè quàm formam acceperit , habent ad

eſſentiam

A essentiam, & ad id quod est in rebus singulis, & quod in iis quæ sunt. Vnius ergo principij hæc vim noménq; obtinet, eáque non ita vnũ principium est, nec vnum, vt aliquid rerum singularum. Vnum verò est etiam forma & ratio, & præterea quæ eius contrarium est, priuatio. Hæc autem quẽadmodũ duo sint, & quomodo plura, suprà dictum est. Ac illuc quidẽ primò dictum est, principia esse sola contraria: deinde illud etiam, necesse esse aliquid aliud subiici, & tria esse. Ex iis autem quæ nunc dicimus, perspicuum est, quæ sit contrariorum dissimilitudo & distinctio, quámque rationẽ inter se principia habeant, & quid sit subiectum. Vtrùm autẽ forma sit in essentiis, aut materia, nondum planum factum est. Si forma præsentia sua materiam certi generis ac speciei efficit, & absentia sua nullius
B generis speciésque facit, & sunt principia duo, species & quod specie caret, atque hæc ipsa etiam priuatio facit præsentia absentiáque sua: principia alia ab aliis vltro citróque & generabuntur, & interimẽtur, nec æterna erunt. Quod enim æternũ est, alicuius præsentiã, & absentiã vt sit non requirit. Si & præsentia & absentia principiorũ, contrariorũ fit mutatio, perspicuum est, ex eo quòd principia sint, mutationem fieri. Quî ergo principia manere possunt, quæ principiorum rationem amiserint? Si principiũ quod principium habet, non est principium, quî fit, vt materia quę formã principium status sui habet, priuationis autem eiusdem, priuationem, prin-
C cipium esse possit? Naturam appellare id quod priuationi subiicitur, quod quidem nec in essentiis est, nec in rebus singulis, nec in iis quę sunt, quid causæ est, quin sit superuacaneũ? Si principia nec ex aliis sunt, nec alia ex aliis, priuatio autem ex formæ absentia, & forma ex absentia priuationis, quid afferri potest, quin forma & priuatio principia sint alterum ex altero? Vtriusque enim absentia vltro & citro vtrumque efficitur. Si quam rationem æs habet ad eã statuam, quæ ex eo facienda est, eam materia ad essentiã habet: & ad id quod est in rebus singulis, & quod in iis quę sunt, quî fit, vt æs nisi sit in essentiis, & in rebus singulis, atque in iis quæ sunt, rationem ad statuam habere non possit: materia autem, quæ nec in essentiis est, nec in rebus singulis, nec in iis quæ sunt, rationem ad ęs habere
D possit? Si omnia quæ in concretione eorum quæ natura constant, cernuntur, sensu sciri possunt, cur materia ex qua cõstant res quæ sub sensum cadunt, similitudine sciri & cognosci, non sensu, potest? aut quî fit omnino, vt ex eo quod sensu percipitur, ea fiant & oriãtur, quæ sub sensum cadũt? Si id quod est in rebus singulis hoc etiam habet, vt principium vnum sit, quî fit, vt materia hoc quidem habeat, vt principiũ sit vnum, vt autem eadem sit aliquid rerum singularum, non habeat? Et, si id quod est in rebus singulis, & quod in rebus singulis non est, in essentiis est, cur materia aliquid est quod in rebus singulis non est, essentia autem non est? Quo autẽ
E pacto materiam vnũ esse negare potest, is qui illam in duo genera tribuit, in id quod subiicitur ei quod fit, & in contrarium? Si nondum perspicuũ est ex iis quæ ab eo dicta sunt, sítne forma essentia, aut id quod substernitur, cur materiam in essentiis esse negauit, & in rebus singulis, & in iis

quæ ſunt?Si enim materiam id quod ſubiicitur eſſe dixit,& aliàs neque in· A
eſſentiis eam eſſe vult, neque in rebus ſingulis,neque in iis quæ ſunt, aliàs incertum eſſe,ſitne in eſſẽtiis,quid afferre poteſt, quin indoctorum ſit id quod fatetur?

Eiuſdem ex eodem libro.

Eod.lib.8. cap. Cùm enim veritatem primi philoſophi quęrerent,naturámque rerũ,à vero aberrarunt,& quaſi in viam quandam aliam imperitia expulſi ſunt,cõfirmántque nec oriri quicquam eorum quæ in rerum natura ſint, nec interire,propterea quòd neceſſe ſit oriri id quod fiat,aut ex re quæ ſit,aut ex nihilo,ídque ex vtroque horum fieri non poſſe.Neque enim eã rem quæ ſit oriri,eam enim iam eſſe:nec ex nihilo fieri quicquam poſſe:aliquid enim ſubiectum eſſe oportere. Atque hoc modo id quod deinceps ſequitur,addentes,nec multa eſſe concedunt,ſed id modò quod eſt.) Hæc etiã ſatis declarãt verum eſſe quod à nobis de Gentium philoſophis dictũ eſt, eos non ſcientia demonſtrandi de naturis diſſeruiſſe,ſed coniectura veriſimilíque ratione ſuam explicauiſſe ſententiam. B

Ex eodem libro.

Ibid. Nos autem confirmamus,ex eo quod ſit,aut ex nihilo fieri, aut nihilum, vel id quod eſt facere aliquid aut pati, vel hoc quiduis fieri,vno modo aliud nihil eſſe,niſi medicũ facere aliquid aut pati,aut à medico eſſe quippiam vel fieri.Itaque quoniam hoc duobus modis dicitur,perſpicuum eſt & ex eo quod in rerum natura ſit,& id quod eſt,vel facere aliquid vel pati tot dici modis.Ædificat quidẽ medicus,non tamen ex qua parte medicus eſt,ſed qua architectus:idémq; albus fit,non quatenus eſt medicus,ſed quatenus niger:medetur autem,rudíſq; medicinæ efficitur,hoc ipſo quòd eſt medicus . Quoniam autem medicum propriè tum maximè facere aliquid dicimus,aut accipere & quaſi pati, aut aliquid ex medico fieri, cùm ei qua ex parte medicus eſt,hæc omnia conueniunt: illud etiam perſpicuum eſt,ex nihilo fieri hoc ſignificare,quatenus nihil eſt. Quod illi quidem cùm minimè diſtinxiſſent, aberrarũt,& hac ipſa ignoratione impulſi,in·eas prætereà ignorationis tenebras incurrerunt,vt nihil oriri putarent, neque eſſe aliarum rerum, ſed omnem ortum originémque tollerent.At nos quoque ipſi quicquam ex eo quod planè & omnino nullum eſt,fieri & oriri negamus,& tamen iidem aliquid ex eo quod per ſe nihil eſt,ſed aliena vi fieri concedimus . Ex priuatione enim quæ nihil eſt,et ſi non ineſt,tamen aliquid fit,quod quidem mirum eſt,fieríque ita non poſſe videtur,vt aliquid ex nihilo oriatur.Eodémque modo,nec ex eo quod eſt, neque id quod eſt fieri vel oriri niſi per aliud aduentitiáq; vi,dicimus.Sic autem & hoc fieri eodem modo cenſemus, quo ſi ex animali animal oriatur,& ſi ex quodam animali,animal quoddam, veluti ſi canis ex equo naſceretur. fiet enim nõ ſolùm ex quodam animali canis,verumetiam ex animali,ſed non qua ex parte animal eſt.Hoc enim iam ineſt.Quòd ſi futurum eſt, vt aliquid fiat non per aliud, non ex animali erit:&, ſi futurum eſt, vt aliquid id quod eſt fiat, neque ex eo quod non eſt . Nam C D E

ex nihilo

A ex nihilo fieri à nobis dictũ est quid significet, nempe quatenus nihil est. Præterea illud, omnia esse, aut nõ esse, nõ tollimus. Si nec ex eo quod planè & omnino est, nec ex eo quod nõ est omnino & absolutè, aliquid oriri fierique posse, cõmune est & eorum qui imperitia ignoratiõnéque ortũ originémque rerum tollunt, & huius, qui errantes correxit: quid afferri potest, quin ortus rerum sublatus sit, vt ab iis qui errant, sic ab eo qui eos correxit, qui in errore versantur? Si aliquid ex eo quod est, aut quod nõ est, fieri aut oriri per accidẽs non potest, quin antè eius quod per se fit vel oritur, ortus intelligatur, veluti medicus albus fieri non potest, quin id quod nigrum est, album fiat: nec medicus ædificare potest, quin architectus ædificet, si medicus & niger sit & architectus: quî fit aliquid per accidens ex
B eo quod est, & ex eo quod non est, si nihil antea per se factum sit? Si primùm animal est, deinde animal quod ex animali natum est, & certum animal ex quodam animali: & ortui animalis ex animali semen subiicitur, quod quidem animal est potestate, re autem ipsa non est animal, ortui autem animalis quod est absolutè animal semen subiectum non erat, quid causæ est, quin contra naturam ex animali animal oriatur? Si antè quàm ortum esset id quod oritur materia quidem erat, quod autem ex ea fit vel oritur, non erat, quidnã materia est? veluti si materia equi erat, antè quàm equus nasceretur. Si omnia quæ in equi essentia naturáque cernuntur, ge-
C nerari oririq; possunt, quomodo generari nõ poterat materia ex qua equus factus est? Si per se nec priuatio in iis est quæ sunt, nec materia, & accidẽs in id cadit quod per se est, quî ex priuatione quę neq; per se est, neq; per aliud, aliquid fieri aut oriri potest? Quæ disiuncta sunt, nec ex altero eorum quicquam fieri orirîve potest, ex iis ne si cõiuncta quidẽ sint, quicquã potest fieri: veluti ex eo quod omnino & absolutè est, nihil oriri potest, itémque ex eo quod omnino nullum est, vt Aristotelis verbis vtamur: quónam modo vtrumque fieri potuit, vt & ex eo quod est, & ex eo quod nullum est, aliquid oriretur? Si id quod subiicitur, ex quo id quod fit oritur, necesse est contrariis subiici, non igitur quicquam fit ex priuatione per accidens, quæ
D non subiicitur contrariis. Qui omnia neque esse, neque non esse negat, sed omnia & esse & non esse concedit, quî materiam non esse nec in essentiis, nec in rebus singulis, nec in iis quæ sunt, verè potest dicere? Si id quod fit, oritur illud quidem, non tamen ex eo quod non est omnino, neque ex eo quod planè est, sed ex vtroque, oritur ergo etiam ex materia vt ex eo quod est, & ex eo quod non est: itémque vt ex eo quod in singulis rebus est, & ex eo quod nõ est in rebus singulis. Atqui si hęc ita se habent, falsum est quod dictum est, materiã nec in essentiis esse, nec in rebus singulis, nec in iis quę sunt. Vt materia formæ est expers, sic forma materia caret. Atqui si materia & quod in ea forma caret, duo principia sunt, forma quoque & quod
E in ea materiæ expers est, duo erunt principia. Cur igitur cùm quatuor sint, tria tantùm principia posita sunt?

Ex eodem libro.

Nos enim aliud materiam, aliud priuationem esse dicimus: ac materiã qui-

dem per aliud aduentitiáq; vi, priuationem verò per se nihil esse, & materiā propè ac quodam modo essentiam esse priuationem, nullo modo. Illi autem nihilum esse volunt id quod magnum est & quod paruum eodem modo, aut vtrumque simul, aut vtrumque separatim. Ita fit, vt hic triū principiorum, alius ille sit modus.) Si aduentitia vi non esse materię conuenit, perspicuum est materiam aduentitia vi nec materiam esse, nec principiū. Esse enim materiam, & principium esse, illius est quod est in iis quæ sunt. Quòd si aduentitia vi non esse quid materiæ conuenit propter priuationem, non est dubium quin forma faciat, vt sit in iis quæ sunt per aliud aduentitiáque vi. Erit igitur materia per se quidem nunquā in iis quæ sunt, per aliud autem alienaq; vi interdum in iis quæ nō sunt, interdum in iis quę sunt. Quid igitur causę est, quamobrem non absurdum sit, propemodum essentiam esse, & essentiam esse quodammodo id quod nunquā per se est in iis quæ sunt, dicere? Si aliud est materiam esse, aliud alicuius esse materiam, & materia eo caret, vt alicuius materia sit nec eo priuatur, vt sit materia, erit in iis quę sunt, & in iis quę nulla sunt, materia: in iis quidē quę sunt, propterea quòd ipsa est materia, in iis autem quæ nō sunt, quòd non est materia cuiusquā. Atqui si materia nullius materia est, nihil ergo priuationis formæ est materia. Quòd si materia aliquid est formæ priuationis, nunquam igitur materia erat, quatenus materia dicitur, sed semper alicuius materia, modò priuationis formæ, modò ipsius formæ. Esse autem aliquid priuationem formæ hinc perspicitur, quòd posita est eorum quæ fiūt & oriūtur principium. At si hæc ita se habent, nunquam igitur materia in iis est, quæ nulla sunt, sed si in iis est quæ sunt, aliàs forma caret, aliàs forma est prædita. Ita fit, vt semper oriri possit. Si materia priuationem formæ quæ eiusdem est cuius illa est æternitatis, amittere potest, potest etiam priuationem originis, quæ eiusdem est cuius illa æternitatis, amittere. Si non secundum, neque primum potest. Quî igitur oritur ex materia id quod fit, cùm materia priuationem formæ cui cum illa communis est æternitas, minimè amittat? Si vt ratio Aristoteleæ ternionis diuersa est & dissimilis ei rationi ternionis quam Plato ponit, sic etiam diuersa est ternio, cur non est principiū eorum quæ fiunt senio, sed ternio? Quòd si ternio non est dissimilis, cur eius modus diuersus est?

A B C D

Ex eodem libro.

Ea enim quæ permanet, formam in gignēdis rebus matris instar adiuuat. Altera autem repugnantiæ pars sæpe ei qui animi aciem ad malum quod affert, intenderit, nec esse omnino videbitur. Nam cùm sit diuinum quiddam, quod & bonum & expetendum est, alterum ei contrarium esse dicimus, alterum quod suapte natura eius cupiditate ducatur. Illi verò concedere coguntur interitum suum appetere contrarium. Atqui nec forma seipsam appetere potest, quoniam sui non indiget, nec contrarium suum, contraria enim se vltro atque citro interimunt. Sed materia est, quæ formam ita desyderat, vt marem femina, & res turpis pulchritudinem: hoc tamen interest, quòd illa turpis est, non per se, sed aliena vi & per aliud, E

quemad-

A quemadmodum nec femina per se,sed aduentitia vi concupiscit. Eadem autem materia tum interire,tum oriri & dici & negari potest . Vt enim id est in quo,per se interit,quod enim in ea interit,priuatio est: vt autem ex potestate spectatur, non per se interit, quin nec interire, nec oriri gignique necessariò potest.Si enim oritur,aliquid primùm subesse oportet, ex quo insito gignatur aut fiat. Hoc autem est ipsa natura . Ita erit,antè quàm fiat. Appello enim materiam id quod cuique rei primò subest , ex quo insito aliquid per se,non aliena vi,nec per aliud efficitur. Sin interit quadam ex parte , quoniam eò ad extremum perueniet , interibit , antè
B quàm intereat.) Si vt principium est eorum quæ oriuntur materia, atque forma,sic etiam est priuatio, qui materia simul cum forma causa est eorũ quæ generantur & fiunt , nec simul causa est priuatio ? Si forma ob eam causam principium est , quòd ab ea id quod oritur aut fit, statũ suum habet,perspicuum est etiam priuationem principium esse,quòd ea id quod fit non esse dicitur . Qui igitur principium dicitur esse eorum quæ oriãtur , priuatio ? Si cùm adest forma,tum priuatio non remanet,profectò si forma non adest,remanet priuatio. Quid igitur causæ est , quin alienum absurdúmque sit id quod remaneat,non esse dicere?Remanere enim eius est quod est. Si altera repugnantiæ pars est priuatio, eíque malum forma
C affert,quid est quamobrem forma nõ sit & bonum & malum? bono quidem materię,vt à qua rationem nomẽnque essentiæ materia habeat, malo autẽ priuationi,vt à qua ei interitus pareretur.Si quid est diuinum,& bonum atque expetendum,habétq; contrariũ,quod neque bonum est,neque expetendum est,erit id quod diuinum est, & bonum & nõ bonum,expetendúmq; & non expetendũ,ita etiam diuinum atq; non diuinũ.Quod si absurdum est,non igitur diuinum id quod & bonũ est & expetendum est, quicquam habet contrarium.Quod enim omnino & planè bonũ est,bono est omnibus,non tantùm quibusdam.Si boni contrariũ,bonum nõ expetit:interitum enim naturæ suæ expetit,si bonum expetit:& forma se nõ
D expetit:forma enim nihil requirit,quod autem diuinũ est,id appetendum & optandum est:cui appetendum & optandum est, nisi materiæ?est igitur materia animata. Appetere enim & concupiscere eius est,quod est animo præditum.Si animata est materia,quid afferri potest,quin falsum sit,materiam non esse in iis quæ sunt aduentitia alienáque vi ? Nam & animus in iis est quæ sunt, & id quod animum habet . Si vt femina marem appetit , & vt quod turpe est , id quod pulchrum , sic materia bonum appetit , nec materia per se femina , nec quod pulchrum , sed per aliud aduentitiáque vi,perspicuum est eam non per se, sed per aliud, bonum appetere.Erit igitur id quod diuinum est , non per se bonum , & expeten-
E dum atque desyderabile , sed per aliud aduentitiáque vi , quod alienum est dicere . Si materia ex forma quidem oriri , à priuatione autem interimi potest , sed per se nec oriri potest , nec interire : materia & semper interire vel oriri poterit , & nunquàm ab interitu ortúque erit libera . Semper enim vel priuationi , quæ in ea interit , subiicitur , vel

Bb. i.

formæ quæ in eadem oritur. Non ortum esse in iis quidem quæ ortum habent,ortus originísque priuationem quæ potest esse declarat : in æternis autem naturis,amotionem negationémque significat omnis originis, & antecedentis & consequentis, veluti æs quod futurum est statua, antè quàm statua ex eo fiat, non ortum siue non factum dicitur priuatione,propterea quòd statua ex eo fieri potest: in Deo autē non ortum esse, negationem significat originis essentię tam superioris,quàm futuræ.Cùm igitur duo sint priuationis originis genera, vtro tandem materia non oriri potest?Si priuatione,non generari ac non fieri potest, eo modo quo æs non posse dicitur. Si negatione materia generari ac fieri non potest, nihil fit materia, neque eam rationem, quam æs ad statuam habet,habere ad essentiam materia potest,quemadmodum Aristoteli placet. Si ita materia generari oririque vt Deus,non potest,& Deus potest ex eo quod oriri non potest, aliquid efficere, perspicuum est Deum etiam ex nihilo facere aliquid posse. Quam enim, vt ita dicam, ineptitudinem habet id quod est,ad id, vt non fiat vel oriatur quicquam ex ipso natura, & arte, eandem etiam habet id quod semper origine caret,ad id, vt natura & arte nihil ex ipso fiat & oriatur. Quî ergo Deus ex eo quod ex omni æternitate generari fieriq; non potest,aliquid facere potuit, & ex eo quod absolutè non est,id est,ex nihilo facere non potuit?Atqui perspicuè ac planè primi quidem philosophi ad negandam omnem rerum ex materia originem impulsi sunt,quòd ex nihilo Deum aliquid posse facere nō crederent: Aristoteles autem qui hoc correxit,ad negandam tollendámque materiæ originē.Si est id quod oritur,éstque aliquid,quod hoc ipsum fit & oritur,quemadmodum suprà dixi,nihil horum materia est,si nec oriri potest nec interire.Si oriri & interire materia nō potest, necesse est eā vtroque priuationis originis genere nō posse generari. Neque igitur quicquam ex ea oritur & fit,neque in ea interit. Quî igitur interit priuatio in eo quod interire non potest?Si materia vna est,& multa sunt dissimiliáque ea quæ ex ea oriuntur,cur necesse est materiam non ortam manere, cùm id quod in ea semper diuiduum est,indiuiduum manere non possit?Si numero vna est materia, specie duæ, neque eadem oriri, nec interire potest, aut igitur tota oriri & interire non potest, aut eius dimidium. Si tota oriri interiréque non potest,profectò dimidium etiam eius tale est. Si dimidia eius pars oriri non potest nec interire,& dimidia eiusdem pars reliqua non est eiusmodi, erit in eodem vera repugnantia: quod quidem fieri non potest.Si id quod formam in se recipit,aut illa fit, aut ex eadem oritur,quî materia quæ formam accipit,oriri non potest?Si eorū quæ sunt est proprium oriri non posse,quomodo materia neque in iis est quæ sunt, neque oriri potest,nec interire?Si id quod sine origine,in eo est quod ortum nō habet,ortu etiam caret, quî priuatio quæ in materia sine ortu est, & oritur& interit?Si alterū contrariū,vt dictum est,cū adest aut abest,facere mutationē potest,quíd nā est quod mutatur,cū materia nec oriri possit,nec interire?Si id quod oriri & interire nō potest in essētia cernitur stāte eo quod ortum

A ortum non habet nec interit, vbi eſt id quod in materia oriri & interire non poteſt,cùm materia non ſit eſſentia? Si æs priore ſua origine ortum non eſſet, ne ſtatua quidem ex eo fieret. Quî ergo fit materia,vel aliquid ex materia oritur,ſi anteà eius non fuit origo?Si æs nõ interiret,ne id quidem quod æneum eſt interiret. Cur ergo interit id quod ex materia conſtat, ſi materia interire non poteſt? Si ex iis quæ corpore vacant corpus non efficitur,quî ortum eſt ex materia & forma corpus, quæ per ſe vacāt corpore?Si naturali neceſſitate id quod oriri atque interire non poteſt, indiuiduum eſt & immutabile,quî in formis quę per genera diuiſæ ſunt,ineſt materia quæ oriri & interire non poteſt?& quónam modo commuta-
B tione fiunt ea quorum materia mutatur? quemadmodum ſuprà in enumeratione generum originis explicatum eſt.

Ex ſecundo libro Ariſtotelis de Natura.

Vno quidem modo natura definitur ſic, Prima quæ cuique ſubiicitur materia eorum quę in ſe motus & mutationis principium fontémque cõtinent. Alio autem modo, Forma & ſpecies quæ rationi accommodatur. Vt enim ars dicitur id quod arte effectum eſt, & quod ab arte proficiſcitur: ſic natura & quod naturæ aptum eſt, & quod natura conſtat naturaléque eſt,vocatur.) Quid ergo id quod ex materia eſt,& quod ex materia *1.cap.*
C conſtat,præter materiam appellabimus?Dic eſſe aliquid aliud. Si hoc materiam eſſe dicemus, tum denique materia erit materia,cùm erit id quod ex materia eſt,& quod ex materia conſtat. Etenim tum natura eſt,cùm id quod natura conſtat & quod naturale eſt. Eadē eſt artis ratio. Quæ enim eodem modo pronunciantur,eandem inter ſe rationem habent. Atqui ſi tum demum materia eſt,cùm eſt id quod eſt ex materia & quod ex materia conſtat,materia in iis non erit,quæ oriri generaríque non poſſunt.

Eiuſdem ex eodem libro.

Quocirca alio modo natura ſit neceſſe eſt, eorum quæ in ſe habēt motus *Ibidem.*
D principium,forma & ſpecies,quæ ſeparari,niſi cogitatione & ratione non poteſt. Quod autem ex his conſtat, non eſt illud quidem natura,ſed natura cõſtat,vt homo.) Si à natura eſt homo,& naturale quiddam animal, cur homo natura non eſt?Cùm enim definiret,vſus eſt his verbis,Natura dicitur id quod à natura eſt & quod naturale.

Ex eodem libro.

Ac in iis quidem,quæ ab arte proficiſcuntur,materiam operis cauſa paramus:in iis autem quæ natura molitur, eadem ſuppetit.) Quoniam aliud eſt opus quod neque à natura,neque ab arte proficiſcitur,vbi eius operis materia ponenda eſt?Naſcitur enim ex animali animal, etſi non primum animal, neque animal ex animali:& natura quidem oritur animal, quod *2.cap.*
B ex animali naſcitur, non tamen animal abſolutè. Atqui ſi in iis quæ arte efficiuntur, materia aduentitia eſt, in iis autem, quæ natura conſtant, materia in iis quæ à natura proficiſcuntur, ineſt: perſpicuum eſt, materiam in iis operibus quæ nec arte efficiuntur, nec natura con-

ſtant, aliter ineſſe: cuius niſi definitionē conſtituas, is qui in rebus naturalibus verſatur, ea etiā quæ iam definita ſunt, incōſtātia faciet, & incerta. Si enim tum demum vnamquamque rem ſcire nos arbitramur, cùm primas cauſas cognitas habemus, primáque principia, quónam modo quiſpiam animal quod ex animali naſcitur, cognoſcetis, qui animal quod ex animali non naſcitur, ignorabit? illud enim huius eſt & principium & cauſa. A

Ex eodem libro.

Quoniam autem caſus & fortuna cauſæ ſunt eorum, quæ vel à mente, vel à natura proficiſcuntur, ídque tum demum, cùm aliquid horum ipſorum aduentitia cauſa exiſtit, nihil autem aduentitium prius iis eſt quæ per ſe ſunt: profectò ne aduentitia quidem cauſa prior ea eſt & antiquior, quæ per ſe víque ſua efficit. Ex quo efficitur, caſum & fortunam posteriora eſſe mente atq; natura. Itaq; vt caſus cæli cauſa quàm maximè ponatur, tamen & mens & natura in efficiendis cùm aliis permultis, tum hac rerum vniuerſitate priores partes habeant neceſſe eſt.) In his non ſolùm primarum cauſarum, & ſecundarum, quem minimè ſeruauit, commemorauit ordinem, ſed etiam cęlum, quod etiam in ſecūdo de Natura libro paulò ſuprà fortuito ortu liberauit, hoc loco ortui ſubiecit, nec fortuito ſolū, ſed etiam ei qui à mente & natura procuratur: quod quidem perſpicuè abſurdū eſt, eum qui eſſentiæ ortum quem mens & natura procurentā, à primis cauſis acceperit, rurſus à ſecundis cauſis eandem mutuari originem. Prætereà quid cauſæ eſt quin abſurdiſſimum ſit, eundem aliàs fortuita origine liberare, aliàs eidem ſubiicere? & modò origine carere dicere, modò ortum habere id quod à natura proficiſcatur? Proferam autem ego verba quibus hæc facit, vt ex comparatione falſum quod continent intelligatur. B C

Ex eodem libro.

Cap. 4. paulò ante. Sunt autem, qui etiam huius cæli eorúmque omnium, quæ in mundo fiant cauſam & fortunæ & temeritati tribuāt. Caſu enim aiunt cōuerſionē motúmq; fieri, quę hunc vniuerſitatis ordinē diſtinxerint & cōſtituerint. Et certè hoc ipſum magna admiratione dignū eſt, quòd animantia & ea quæ terra ex ſe edat, nec fortuitò, nec caſu fieri aut ſtare cenſent, ſed vel naturam, vel mentem, aut aliquid aliud eiuſdem generis eorum cauſam eſſe ponunt, quandoquidē non quod caſus tulerit, nec quiduis ex ſemine naſcitur, ſed ex hoc tali olea, & hoc ex homo: eorū verò quæ ex iis quæ apparent oſtenduntúrque nobis, ſunt diuina maximè, cauſam fortunæ & caſui aſcribunt, eorúmque cauſam nullam eſſe talem, qualis ſit animalium & eorum quæ è terra oriantur. Atqui ſi ita eſt, conſyderatione dignum eſt, de eóque non erit alienum dicere. Nam præterquàm quòd alioqui abſurda eſt hæc eorum ſententia & oratio, hoc etiam abſurdius eſt, eorum hanc eſſe orationem, qui nihil in cælo caſu fieri cernant, in iis verò quæ non fortuitò fiunt, multa fortuitò euenire. Atqui contrà fieri decebat.) Eum quidem cælū caſu factū eſſe dicere, & rurſus non caſu, declarant ipſius verba, quæ ex ſecundi de Natura libri capitibus duobus, D E

vndecimo

A vndecimo & duodecimo proculi. Atque vt omnes intelligãt eundem cęlum ortum non habuisse dicere, & rursus ortum habuisse natura, eius verba quibus hoc expressit, proferam.

Ex secundo Aristotelis de Cælo libro.

Omne quidem cælum nec ortum esse, nec interire posse, quemadmodum nonnullis placet, vnúmque esse atque æternum, quod & principium ac finem non habeat ab omni æternitate, & immensum tempus complexu suo contineat & coërceat, ex iis quæ dicta sunt, perspici potest.) Hæc de priuatione originis cæli cùm censuerit Aristoteles, vide rursus quæ de eius

B ortu in primo libro de Cælo afferat, Rectè natura id quod originis & interitus expers futurum erat, exemisse ex contrariis videtur: quandoquidem ortus & interitus cernuntur in contrariis) Si eorum quæ fieri non possunt, nec quicquam est, nec esse potest, & in iis est quæ fieri non possunt, id quod futurum est, ortum non habere, nec principium, nec finem, & habere continerẽque in se infinitum immensũmque tempus: profectò qui hæc dicat, quid inter id quod fieri potest, & quod fieri non potest, intersit, ignorabit.

Ex primo libro Aristotelis de Cælo.

C Nihil enim casu interire potest, nec expers esse originis.) Cur igitur aliquis ei fidem habeat, qui vtrumque de cęlo asserit? in vndecimo capite casum cęli causam esse dicit: in decimo autem tertio idem principium non habere vult, nec originem.

Ex secundo libro de natura.

Duo autem genera sunt principiorum, quæ naturaliter mouent, quorum alterum naturale non est, quoniam motus principium in se non habet, quo in genere est, si quid mouet neque mouetur, quemadmodum id quod moueri non potest penitus, & quod est primum omnium.) Quî igitur motum afferat naturaliter principium quod nec sit naturale, nec natura

D moueat? Soli enim naturali principio quod natura mouet, conuenit naturaliter mouere. Si principium quod naturale non est, in se principium motus non continet, perspicuum est, principium naturale in se habere motus principium. Atqui principiũ quod principium habet, principium nõ est. Si in iis quæ ex æternitate orta non sunt, nihil vllo altero prius aut posterius esse potest, quî principium immobile quod non mouetur, & motum affert, primum est omnium, vel principium est omnino?

Ex tertio libro eiusdem artis & scientiæ.

E Esse autem infinitum quiddam, quinque rationibus maximè doceri potest, quarum prima à tempore sumitur, hoc enim infinitum est: altera à magnitudinum diuisione, re enim infinita etiam mathematici vtuntur: tertia ex eo quòd ita demum locus ortui & interitui semper relinquatur, si sit infinitas, vnde id quod fiat auferatur.) Si tempus semper in

Bb. iij.

oriendo rationem ſuam habet, quod autem oritur, antè quàm orire- A
tur, non erat, quî fit, vt infinitum interminatúmque ſit tempus, cuius ſemper ſtatim ſtatus priuatio antecedat? Nam & quod nondum eſt, futurum eſt vt præſens ſit,& quod futurum eſt, præteritum erit, & quod prçteritum eſt,futurum fuit,vt oriretur.Si vt ne ortus & interitus deficiãt, infinitum eſſe neceſſe eſt ortum & interitum,erit & ortus & interitus qui principium non habebit, quemadmodum id quod non habet ortum, & quod interire non poteſt.Quod ſi fieri non poteſt, non igitur ortus infinitus eſt,nec interitus,

Ex eodem libro.

Ibid.5.cap. Quin ne numerus quidẽ,vt ſeparatus & infinitus.numerus enim omnis, B
aut id in quo eſt numerus, numerari poteſt. Si ergo fieri poteſt, vt quod numerari poteſt,numeretur,fieri etiam poterit, vt id quod infinitum eſt perſequamur.)Si eius quod numerari poteſt, & eius in quo eſt numerus, non eſt infinitus numerus, tempus autem quod ortum eſt numerari poteſt,finitum ergo erit tempus,quod ortum eſt.

Ex eodem libro.

Ibid.6.ca. Perſpicuum eſt autem, ſi res infinita planè ſit, nullo modo fore, vt multa incommoda conſequantur. Nam & temporis principium quoddam erit ac finis, & magnitudines in magnitudinem diuidi non poterũt, & numerus infinitus non erit.) Si eius quod infinitum eſt, pars vna reipſa eſt,altera poteſtate,& fieri nõ poteſt,quin rei infinitæ pars quç nunc C
reipſa eſt, poteſtate prior ſit,fieri nõ poteſt,vt quod ſemper infinitum interminatúmq; eſt partim reipſa ſit,partim poteſtate:ſed ſi prius eſt poteſtate,poſterius etiã eſt. Si vt in futuro tẽpus fine caret,ſic in præteritò nõ habet principium,tempus vt in futuro ortum non habet nec oriri poteſt,ſic etiã in præterito.Si hoc eſt,fieri non poteſt,vt tempus in futuro oriri non poſſit,quòd tum nondũ ortum eſt.Atqui originẽ habuit in præterito,nõ igitur tempus principio caret.Eius enim quod principium non habet,nõ eſt origo:temporis autem eſt. Si nihil reipſa infinitum eſſe poteſt,duplices diuiſiones magnitudinis quç iam ſumptæ ſunt, non ſunt infinitæ,neque numerus is qui ſumptus eſt,numerus. Vtrumque enim eſt reipſa.Si D
infinita nõ ſunt,finita igitur.Si finita,principiũ etiam habent:ille quidem principium quo in duas partes diuiduntur,hic quo numeratur.

Ex eodem libro.

Ibidem. Res infinita alia eſt additione,alia detractione. Magnitudinem verò non eſſe reipſa immenſam & interminatam iam diximus: eſt tamen diuiſione, quippe cùm facile ſit lineas indiuiduas detrahere. Relinquitur ergo infinitatem eſſe vi & poteſtate. Quod autem eſſe poteſt, non ita accipiendum eſt, vt ſi hoc ſtatua eſſe poſſit, quod etiam ſtatua aliquando erit, ſic infinitum aliquid, quaſi reipſa ſit futurum. E
Sed quoniam multis modis aliquid poteſtate eſſe dicitur, quemadmodum dies eſt & certamen, quòd aliud atque aliud ſuccedat, ſic etiam infinita res. In his enim & poteſtate eſſe, & reipſa eſſe reperitur.

Ludi

A Ludi enim Olympici dicuntur & quòd certamen agi possit, & quòd agatur. Aliter verò infinitas in tempore, aliter in hominibus, & in magnitudinum diuisione reperitur. Omnino enim infinitas ex eo est, quòd aliud & aliud semper accipiatur: &quod accipitur, semper illud quidem finitum est,sed aliud atque aliud semper.) Si re ipsa non est quicquam infinitum,perspicuum est, omne id quod re ipsa est semper esse finitum. Quod autem finitum est,necessariò principium habet. Quod verò principium habet,necessariò ortum est: quod ortum est,fuit aliquando tempus cùm non esset,si hoc in eo omni quod infinitum est & additione, & detractione,& potestate,& re ipsa dicatur.

B *Ex eodem libro.*

Nec si quid extrà est, id infinitum est,sed quod accipit id quod extrà est, maius fit quàm esset antè quàm accepisset id quod extrà est.Quod autem additione eius quod extrà est,maius se ipso redditur,semper finitum est.)Si id quod infinitum est,semper in additione detractionéque cernitur,semper id quod infinitum est, in additione & accessione consistit. Quî ergo principio caret id quod semper in ortu statum suum habet? Quod enim principio caret,oriri non potest. *Hæc non sunt in exē plaribus Arist.quæ extant.*

Ex eodem libro.

C Diuisio enim magnitudinis in æquas partes nullum exitum reperit. Ita fit,vt potestate quidem sit,re autem ipsa infinita non sit magnitudo, sed semper id quod sumitur definitam certámque omnem multitudinem superet. Nec verò hic numerus separabilis est, nec infinitas manet, sed instar temporis numeríque temporis oritur.) Si infinitus non manet, sed oritur,sicuti etiam tempus numerúsque temporis,nihil ergo infinitum expers est originis. Si verò omne quod infinitum est,ortum est,orta sunt etiam cætera omnia in quibus infinitas esse dicitur.Si id quod in infinitatem cadit,necessariò etiam cadit in ea in quibus infinitas inest: cadit autem in infinitatem ortus & principium: ortũ igitur tempus est,habuítq; principium.Eadem est motus ratio,cuius tempus est numerus. *7.Cap.*

D *Ex quarto libro eiusdem artis & scientiæ.*

Quod enim non est,nusquam esse.)vbi igitur materia est, quæ nihil est, neque est in iis quæ sunt,neque in rebus singulis? *1.Cap.*

Ex eodem libro.

Hesiodus autem qui fecit primum chaos,rectè censuisse videbitur.)Ait enim, Extitit antè chaos, post hos vastissima tellus, quasi receptaculum rebus primò esse oportuerit,quòd existimaret id quod plerique,alicubi & in loco esse omnia. Quod si ita est,profectò vis est loci quædam admirabilis,& omnium antiquissima.Cuius enim ea vis est,vt sine eo nihil extate possit,& tamen sine aliis constet, id primum sit omnium necesse est) Si primus est locus,&posteriora ea quę sunt in loco,naturali necessitate,sicuti &Hesiodo placet,&Aristoteles eius orationẽ vt verã probat,quid causæ est,quin absurdũ sit,cælũ quod in loco est,ortu carere dicere? Hoc enim simile est,vt si dicat,id quod ortũ sit,eo quod ortũ nõ habuit,esse antiquius. *Ibid.*

E

Ex eodem libro. A

Principio intelligendum est, nullam de loco quid esset, disputationem futuram fuisse, nisi motus quo per locum ciemur, fuisset. Ob eam enim causam etiam cælum maximè in loco esse putamus, quòd perpetuo pulsu agitetur.) Si fieri non potest, vt eius quòd origine caret, status & motus id quod mouetur, requirat, cælum origine carere non potest. Requirit enim locum, vt sit atque moueatur.

Ex eodem libro.

Hoc non est in vulgatis Ari. exemplaribus. Magnitudine quidem præditus est locus, non autem corpore.) Si finita interualla & magnitudinem locus habet, locus ortus est. Si infinita, aut igitur potestate, aut re vera. Si potestate, ortum locus habuit, quemadmodum etiam tempus, numerúsque temporis. Si re ipsa infinita habet interualla, falsa est illa oratio, nihil infinitum re ipsa esse posse. Si alicuius prouidentia locus est id quod est, & habet id quod habet, locus ortus est, posteriórque est prouidentia. Si est id quod est, & habet id quod habet locus sine origine atque principio, ortus non est locus, primúmque est eorum omnium, quę complexu suo continet, in quibus est cælum & ea quæ in eo se nobis aperiunt. Id enim sine quo nihil est, primum cæterorum omnium sit necesse est. B

Ex eodem libro.

Vt enim si commutatur, aliquid est quod nunc est album, & rursus nigrum erit, & nunc durum, quod pòst rursus molle erit, ob eámque causam materiam esse dicimus: sic propter aliquam talem speciem, locus videtur esse. Sed tamen illud vsuuenit, quòd id nunc est aqua, quod aër erat: locus autem, quòd vbi modò aër erat, ibi nunc aqua est) Si quam rationem locus habet ad ea quæ continet, eam materia ad ea quæ in ipsa insunt, habet propter similem speciem, nec comprehendi possunt locus & materia: nihil est materia eorum quæ in ipsa commutantur & oriuntur, nec essentia. Cur igitur materia posita est essentia esse eorum quę omnino absolutéque oriuntur? *Eodem 4. cap.* C

Ex *eodem libro, deest, quarto.*

Omne corpus quod vel loco vel accretione moueri potest, per se alicubi est: cælum autem, vt dixi, nusquam est totum, nec in vllo loco, siquidem à nullo corpore continetur.) Si omne corpus quod loco mouetur, per se alicubi est: loco autem cælum mouetur & fertur, alicubi etiam cælum sit necesse est. Si secundum non est, nec primum. Separari enim alterum ab altero non potest, neque altero sublato, alterius sequitur euersio. Si cælum per se in loco non est, quî fit, vt cùm in orbem incitatur & voluitur, eius partes quæ suprà erant, infrà sint, & quę inferiores erant, fiant superiores? Cùm autem partibus suis suprà & infrà sit, quid causæ est, quin falsum illud sit, cælum non esse in loco? *5. cap.* D

Ex eodem libro. E

Puncti non est locus) non est igitur alicubi punctum, quemadmodum etiam id quod nullum est. Quod si falsum est, punctum in iis est quę sunt, & alicubi. Si alicubi est, necesse est etiam esse eius locum.

A *Ex eodem libro.*

Eſtque locus etiam alicubi,non tamen vt in loco , ſed quemadmodum terminus eſt in eo quod terminatum eſt. Neque enim in loco eſt omne id quod eſt,ſed corpus quod mouetur.)Si omne quod eſt in loco,alicubi eſt,nec omne quod eſt alicubi,eſt in loco, latiùs patet alicubi eſſe, quàm eſſe in loco.Cur igitur vnius categoriæ vbi ſiue alicubi & in loco eſſe dicuntur,quæ tantam habent inter ſe diſsimilitudinem,& differentiam, vt etiam locus alicubi,non autem in loco eſſe dicatur?Et,ſi finis rei terminatæ,alterius rei finitæ ac terminatæ locus eſt,alterius ac diuerſæ finis, quid
B afferri poteſt,quin neceſſe ſit ſemper locum eſſe & locum & terminum? Et,ſi locus iis quæ in ipſo ſunt,antiquior eſt,quid eſt quamobrem nō ſublata ſit neceſsitas,qua locus alij quidem rei locus,alij autem extremitas tribuitur? Et,ſi id quod nullo modo eſt,non eſt in loco (eſſet enim alicubi, quemadmodum dixit) cur locus & id quod eſt in loco non idem ſunt? Et,ſi non omne quod eſt,in loco eſt,quid cauſæ eſt, quin nonnulla eorū quæ ſunt,& id quod non eſt,idem ſint?ſiquidem non eſſe in loco vtriuſque commune eſt.Et,ſi corpus ſolum quod moueri poteſt, eſt in loco,cur cælum quod corpus eſt mobile,in loco non eſt?

Ex eodem libro,de tempore.

Ac illud quidem non eſſe omnino,aut vix &exiliter eſſe,ex his ſuſpica-
C ri poſſumus. Alia enim eius pars præteriit,nec eſt,alia futura eſt,& nondū eſt : ex quibus & immenſum & quod ſemper ſumitur, tempus conflatur. Quod autem ex iis conſtat quæ nulla ſunt , fieri non poſſe videtur, vt in rerum numero reponatur.Præterea omnis rei quæ ex partibus conſtat , ſi modò non ſit tum cùm eſt , aut aliquæ partes , aut omnes ſint neceſſe eſt . Temporis autem aliæ fuerunt , aliæ futuræ ſunt , nec vlla eſt, cùm ex partibus conſtet,& præſens pars non eſt,præſertim cùm & pars metiri , & totum ex partibus conſtare debeat , & tempus ex punctis minimè conſtare videatur.) Si omne quod oritur,antè quàm fieret,nō erat,non igitur æternum ac ſine principio tempus eſt. Itaque ne motus
D quidem æternus eſt,principióque caret,cuius tempus eſt numerus.Si enim futura pars temporis nondū eſt, & pars præterita erat antè quàm futura eſſet,fuit,cùm præterita pars temporis non erat. Et,ſi id quod infinitum eſt ſine principio eſſe debet,non eſt infinitum immenſūmq; tempus,quod principium ſtatus futuri habeat mutationem.Et,ſi præterita pars temporis tempus eſt re ipſa,futura autem,poteſtate,& in iis quæ ſunt actio & poteſtas cernuntur,non ex iis quæ non ſunt conſtat tempus,quod ex præterito futuróque conſtat. Et, ſi tēpus non eſt in iis quæ ſunt,at certè ad ea quæ ſunt propè accedit , quemadmodum etiam ex hoc intelligi poteſt, quòd
E tempus eorū eſt quę ſunt.Et,ſi præterita pars temporis in rei quæ partibus conſtat,partibus quę fuerunt cernitur,cur temporis quod partibus cōſtat, pars nulla eſt? Et,ſi præſens nō eſt minima tēporis pars, éſtq; & repentinū tēpus & indiuiduū & punctū temporis quod dicitur,quónam pacto & ex futuro in inſtans tempus,& ex inſtanti,in præteritum fieri poteſt mutatio,

si præsens nõ est pats temporis?Omnes enim temporis partes sunt, prima A
futura,posterior,nunc,deinde,præterita.

Ex eodem libro quarto eiusdem artis & scientiæ.

11.cap. Illud ergo perspicuum est,neque motum esse tempus,neque sine motu) Quinetiam hoc perspicuum est,ottum esse tempus,non æternum,principium habuisse,non ptincipio carere,finitum esse,non infinitum & immẽsum. Quòd si hæc vis est temporis, motus etiam eadem sit necesse est, cuius numerus tempus est.

Ex eodem libro.

Ibidem. Quàm enim magnus motus est,tam etiam longum diuturnúmque tempus semper effluxisse videtur.)Quæ orta & facta fuerunt,ea necessariò nec æterna sunt,nec principio carent,nec infinita sunt. B

Ex eodem libro.

Ibidem. Túmque demum tempus cessisse putamus, cùm superioris consequentísque motus partis notitiam percipimus. Illas autem intetnoscimus ex eo quòd & aliam atque aliam eadem esse,& aliquid aliud intercessisse existimamus. Cùm enim extrema medio dissimilia esse animo percepimus, & duo puncta tempotis esse animus censuit, quorum vnum prius sit,alterum posterius:tum etiam tempus hoc esse iudicamus. Id enim quod punctum temporis distinguit,est tempus,ídque positum sit.Atque cùm vt vnũ punctum temporis percipimus, nec vt superius aut consequens in motu, aut, C vt idem quidem,sed non vt ptius & posterius alicuius: tum nullum tempus,quoniam ne motus quidem,videtur extitisse.Cùm autem superius cõsequenti annectimus,tum tempus dicimus. Hoc enim est tempus,numerus motus superioris & consequentis. Non igitur motus est tempus, sed qua ex parte motus numerum continet.Idque hinc perspici licet,quòd & ex numero maius ac minus,& ex tempore motum maiorem minorémq; diiudicamus)Qui ortum temporis supetiore & consequenti motus parte definit,is nec tempus,nec motum æternum,caretéque principio & infinitum esse dicit.Si enim ortus est motus,neque ætetnus est,neque principio caret.Et, si terminis suis clausus finitúsque est, non est infinitus & interminatus. D

Ex eodem libro.

Ibidem. Punctum verò temporis tempus omne metitur,qua ex parte prius & posterius sumitur. Est autem quatenus punctum temporis idem sit,est quatenus non idem.Qua enim ex parte in alio atque alio teperitut,diuersum est,eáque est illius ratio : qua autem ex parte vt res consyderatur, idem. Nam & motus ex magnitudine,&ex motu tempus,vt dixi,est cõsequens.) Si punctum temporis non est eius pars, quemadmodum in tertio & tricesimo capite dixit,quomodo tempus metitur? Aut igitur punctum temporis tempus non metitur,aut necessariò pats est temporis. Et,si magnitudinem motus,& hinc tempus sequitur,orta est magnitudo, quemadmodum motus atque tempus quæ ex illa consequentia sunt. E

Ex eodem libro.

12.cap. Lineæ minimus numerus multitudine quidem duæ sunt aut vna magnitudi-

A gnitudine autem non est minimus. Semper enim linea omnis diuiditur. Quod etiam fit in tempore. Numero enim minimum est, vnum aut duo, magnitudine non est.) Si minima pars non est nec in linea punctum, nec punctum temporis in tempore, quid aliud est punctum in linea, & in tẽpore punctum temporis? Si non est minima pars, sed extremum & finis, quî fit, vt sine eo quod finitum & terminatum est, terminus esse non possit, & sine linea punctum esse possit? Quòd si in quibus minimum non reperitur, in iis nec maximum inest, qua ex re differentia dissimilitudóque reliqua partium eius quod maximum est & quod minimum sublata dissi-
B militudine intelligetur?

Ex eodem libro.

Ex quibus perspicuũ est, res æternas non esse in tempore hoc ipso quòd *Ibidem.* æternæ sunt. Neque enim eas amplectitur tempus, neque earum rationẽ metitur.) Vt igitur motum æternum, sic etiam tẽpus quod illius est numerus, æternum esse dixisti. A quibus enim tempus separari non potest, ea nõ possunt non esse in tempore.

Ex eodem libro.

Omnia ea non sunt in tempore, quæ nec mouentur, nec insistunt. Nam esse quidem in tempore, est mensuram tempore designari: tempus autem *Ibidem.*
C mensura est motus & quietis.) Si id quod est in tempore mouetur & quiescit, mouetur autem cælum Aristotelis sententia, & terra quiescit: sunt igitur in tempore cælum atque terra, eorúmq; & motus & quies: & si ortum est tempus, necessariò * ex subiecto in non subiectum, nusquam igitur est materia, quam suprà subiici dixisti iis quę oriuntur & intereunt, illis quidem vt id ex quo fiant, his autem vt id in quod occidant.

Ex eodem libro.

Quod enim non est album, aut quod bonum nõ est, tamen aliena ad- *Lib. 5. ca. 1.* nentitiáque vi moueri potest, quandoquidem homo id esse potest, quod non est album: quod autem omnino & absolutè nõ est, id est, nihilũ, mo-
D ueri nullo modo potest.) Si ex eo quod non mouetur, essentia fieri nõ potest & quod absolutè est, quod autem non est, nullo modo mouetur, quod enim non est, moueri non potest: quónam pacto orta est essentia ex materia quæ planè & absolutè non est in rebus singulis?

Ex nono libro eiusdem artis & scientiæ.

Quòd si fieri potest, vt sit & cogitetur tempus sine puncto temporis, punctúmque temporis medium est quiddam & quod principium finém- *In 8. cap.* que habet, ita tamen, vt principium futuri sit & præteriti finis: tempus sit æternum necesse est. Extremitas enim temporis quod postremum sumptũ
E est, aliquo puncto temporis continebitur: eadémque ratione non interiturum esse docebimus: præsertim cùm nihil in tempore præter punctum temporis sumi notaríque posit. Ita quoniam & initium & finis est punctum temporis, necesse est tempus esse, quod vtraque ex parte illud contineat. Quòd si tempus, motus etiam æternus sit, necesse est: siquidem tempus motus est proprietas quædam & affectio.) His Aristoteles probat æ-

lum esse æternum. Si enim medium est quiddam, principium etiam est & A
finis, & vtraque ex parte tempus habet semper, quo posito, tempus æternum esse necesse est: quòd si tempus æternum est, motus quoque cuius tẽpus est numerus, æternus sit necesse est. Si motus æternus est, necessariò etiam corpus quod mouetur, æternum est. Hoc autem absurdè posuit, eiusdem esse æternitatis: atque refelletur hoc modo. Vt enim tempus quod futurum est, orietur, sic etiam ortum est præteritum. Atqui tempus quod futurum est, quemadmodum motum qui futurus est, continet, sic etiam principium: & quemadmodum nihil superioris temporis est in cõsequẽte, sic nec consequentis quicquam est in instanti. Quòd si instãs in iis est B
quæ sunt, & adest, futurum autem nondum est nec in rerum natura, neq; adest, nõ est igitur id quod præsens est & adest, futuri temporis principiũ: sed punctũ tẽporis quod futurũ est, principiũ est cõsequentis, quod quidem nec medium quiddam est, quod vtraque ex parte tempus habeat, sed ex altera, nec principium nec finis. Est enim idem quidem temporis punctum sed diuersi dissimilísque temporis, veluti principium futuri, finis autem superioris, verùm aliud quidem temporis punctum principium, aliud finis, sed eiusdem temporis. Aliter. Si punctum temporis esse temporis puncto non potest, nisi sit prius futurum, & quod non est, fieri non potest vt punctum tẽporis eadẽ æternitate teneatur. Si enim omne quod priùs in iis C
non est quæ sunt, posteà oriri potest, tale autem est: punctun temporis, necessariò est etiam ortum punctum temporis. Si temporis punctum necessariò etiam omne tempus, cuius punctum temporis est principium & finis. Si tempus, motus etiam necessariò, cuius numerus est tempus. Si motus, corpus etiam quod motu cietur ortum habuit necessariò.

Ex eodem libro.

2.cap. Omninóque existimare hoc esse principium quoddã, Semper vel ita esse, vel fieri, non est æquũ: quò Democritus omnes naturæ causas reuocat, quòd sic etiam anteà fieret, æternitatis autẽ principium nõ vult quærere: quod in quibusdam rectè putauit, non in omnibus. Etenim triangulum duobus D
rectis semper pares angulos habet: sed tamen huius æternitatis alia est causa quędam, cùm interea principiorum quæ æterna sint, causa non sit) Si vt punctum temporis quod nunc est, oritur, sic etiam quod prius & superius est, oriebatur, non rectum est eorum quæ semper natura fiunt principium existimare. Rectum est igitur necessariò existimare principium esse eorum quę natura semper oriuntur, id quod non ita ortum est, vt punctum tẽporis oritur, sed alio modo. Quocirca æquum est eius etiam quod semper oritur principium quærere. Alio modo animal ex animali nascitur, alio natum est animal ex non animali. Et animal quidem ex eo quod non est animal nec natura natum est, nec semper nascitur. animal autem E
ex animali & semper & natura oritur, ex quo principium accepit nascẽdi ex animali, quod ex animali ortum non est: ídque in omnibus quæ semper natura oriuntur, non in nonnullis tantùm cernitur. Fieri enim nõ potest, vt ea quæ ex principiis quæ ortum habuerũt, orta sunt, eandem quã

sunt

A principia habuerunt,habere originem. Æternitas quę in iis quę orta sunt reperitur, carere principio non potest. Etenim triangulum semper duobus rectis pares habet tres angulos, cùm principium quod ortum est,habeat rectũ angulũ,cuius definitio est,Linea ab extremo extenta.Hęc enim causa est,cur triangulum duobus rectis pares tres angulos habeat,qua quidem non extante,triangulum esse non potest. At non extante triangulo, esse potest rectus angulus.Principia eorum quæ semper natura fiunt,æterna esse non possunt.Si enim eam naturã quam habent,iis quæ ex ipsis orta sunt,impertiuntur,& ea orta est,orta est etiam principiorum natura,e-
B tiamsi modus originis immutatus est, diuersúsque est ab eorum quæ ex principiis orta sunt, origine.

Ex eodem libro.

Ex quo illud etiam perspicuum est, vnũ quiddam ac perpetuum necesse esse id quod primas in motu afferendo teneat.Demonstratũ est enim, motum semper esse oportere:si semper,etiam continuum. Quod enim semper est,id cõtinuum est:quod deinceps sequitur,nõ continuũ.Quòd si cõtinuus est,&vnus:vnus autem ex vno quod mouet,& vno quod motu ciet tur.Si enim aliud atq; aliud motũ affert, non est totus motus continuus, sed cõsequens.)Si primum quod motum affert,motũ eum affert qui per lo- 6.cap.
C cum fertur,motus autem qui fertur per locum,est cæli,&cælum naturale corpus est,& natutale corpus in se habet natura motus naturalis principiũ: motus cæli superuacaneus est,eo quod primum mouet motũ qui per locũ fertur,afferente,quem etiã si id quod primo loco mouet,ei nõ afferret,eo ipsum à se cieretur, quod quintum sit elementum, quod nec grauitatem habeat,qua deorsum,nec leuitatẽ,qua in sublime feratur,sed vim aliã quæ caret nomine, quæ ipsum circũ medium torqueat.Si id quod primo loco cęlũ motu eo qui per locum fertur,ciet,neq; natura ipsi motum affert: superuacaneum est enim ita mouere:nec contra naturam:posterior enim est motus qui est contra naturam, eo qui à natura proficiscitur: nihil cælum
D mouet.Si motus omnis vt fit nunc,sic etiam anteà fiebat,& nunc fit eius cuius futura est origo mutatione,cuius autẽ futura est origo,id antè quàm fieret,nondum erat,& quod primum non est,deinde ortum est, hoc vniuersum est,& quod ortum est,principio carere,æternúmque esse non potest:motus nec perpetuus est,nec principio caret.

Ex eodem libro.

Atque etiam ex his motus is qui per locum fertur, principatum obtinere intelligitur.Primum enim aliquid vt aliis in locis,ita in motu multis modis dici potest. Dicitur enim id primum,quod nisi sit,cætera non extabunt,illud autem sine aliis extare potest:&quod ordine tẽporis antiquius 7.cap.
E est,& quod essentia naturáque præstat. Ita quoniam motus continenter esse debet, esse autem continenter potest aut is qui continuatus est, aut is qui cõsequens est,& magis cõtinuus est,ac melius est continuũ esse,quàm cõsequentẽ,& quod melius est,semper in natura inesse si fieri possit, existimamus, & continuus perpetuúsque motus esse potest (quod quidem

mox docebitur, nunc autem positum sit) atque hic esse nisi is qui per A
locum fertur, non potest: certè motu quo per locum res feruntur, primus sit motuum, principatúmque obtineat necesse est. Neque enim necesse est augescere nec commutari id quod fertur, nec oriri aut interire: quorum motuum nullus extare potest, nisi perpetuus continuúsque sit is quem affert id quod primo loco mouet. Præterea eundem necesse est primum esse temporum ordine. Quæ enim æterna sunt, hoc vno cieri possunt. Præterea in quouis eorum quæ ortum habent, motus qui per locum fertur, postremus esse debet. Nam à primo ortu, primùm cõmutatio & accretio sit necesse est, motus autem is quo per locum mo- B
uemur, eorum quæ iam absoluta perfectáque sunt, motus est. Quinetiam necesse est, aliud antè eo motu qui per locum fertur, cieri, quod cùm non gignatur, iis quę gignuntur & fiunt causa erit originis, vt quod procreauit, ei quod procreatum est. Nam ortus primus motuum proptereà esse videri potest, quòd rem ortam esse primùm oporteat: quod quanquàm in vnoquoque eorum quæ oriuntur, ita est, tamen aliquid aliud prius moueri necesse est eorum quæ oriuntur, quod quidem sit ipsum, neque oriatur: & antè hoc aliud.) Si id quod augescit, ortum est, motus autem is qui per locum fertur, augetur motus quantitate, certè æternus non est motus is quo res per locum feruntur. Corpus enim quod fertur, diuersa loca occupat, in quibus prorogans distendénsque modorũ C
suorum mutationem, cùm fertur, motus qui per locum fertur accretionem accessionémque efficit. Si in se habet motus is quo res loco mouentur, quantitate motus accessionem, cur idem motus accretione prior & antiquior esse dicitur? Si fieri non potest, vt quod principium non habuit, nec terminatum est, additione accessionem incrementúmque accipiat, motus is qui per locum fertur, non caret principio, motus accretione. Semper igitur maior efficitur. Si motus quo res loco mouentur, rationem statúmque suum in ortu & interitu habet, non est is motus æternus, cuius statum semper status priuatio antecedat. Motus enim omnis fit eius quod nondum est, sed futurum est mutatione. Si motus o- D
mnis quo res mouentur loco, præterito determinatus est, omne autem quod determinatum finitúmque est, necessariò etiam principium habuit, & omne quod principium habuit, ortum est, motus igitur is quo res mouentur loco, ortus est. Et, Si motus idem eo corpore quod fertur, nõ est antiquior, ortum est etiam id quod fertur. Si in iis quæ æterna sunt, aliud solùm motum affert, aliud solùm motu eo qui per locum fertur, ex æternitate cietur, quid causæ est, quin fieri non possit, vt id quod principio caret, eo motu qui principium habuit, cieatur? Si id sine quo nihil est cæterorũ, & essentia & temporis ordine, primũ est aliorum omniũ, E
quid est quamobrem non sit expers originis? Positum est enim id quod primo loco motũ affert, & primum esse omnium, & origine carere: & præterea cęlum quæque in cælo apparent & mouẽtur, originis expertia esse omnia:
quod

A quod absurdum est dictu, aliquid esse quod ortum non habuit in iis quæ æterna sint, aliquo quod æternum sit, antiquius. Si id quod primo loco motum affert perpetuum & continuum, nec motum affert naturalem, nec eum qui est contra naturam, illum quidem quòd quemadmodum dictum est, sit superuacaneus, hunc autem quòd motum naturalem sequatur: nihil perpetuo continuóque motu ciet. Si cùm æternæ naturæ motu cientur, nec motus prior est iis quæ mouentur, neque ea quæ mouentur motus antiquitate præstant: & morus omnis existit eius quod nondum est, sed futurum est, mutatione: ea quę pulsu agitantur, B statum à mutatione eius quod nondum est, sed futurum est, habebunt omnia. Si in vno eorum quæ oriuntur, motus is quo res mouentur loco, motuum postremus est, & necesse est aliud quod motu eo qui per locum fertur, cieatur, esse antiquius, quod etiam causa sit originis quę origine cateat: quî idem originis & quæ naturæ legem sequatur, & quæ naturæ legem superet, causa esse potest? Qui enim primus procreauit, ortum non habuit. Atqui id quod priùs motum afferebat, sic motu ciebatur in eius quod primò oriebatur, origine, vt posterius motum est in ortu eorum quæ ex illo orta sunt. Aut igitur non est omnis ortus causa id quod originis expers ita mouetur, aut certè perpetuum continuatúmque motum non affert id quod primo loco mouet, cùm originis di- C stinctio in iis quæ oriuntur & fiunt, cernatur, qua alia supra naturam, alia narurę lege orta sunt. Si ortum non habuit id quod prius & posterius est, erit, cùm id quod origine caret, non expers erit originis: quod quidem absurdum & alienum est, aliquando non esse id quod ortum nõ habuit.

Ex eodem libro.

In eo autem quod continuum est, cohærentésque partes habet, infinitæ sunt dimidiæ partes, non tamen re ipsa, sed potestate.) Si nihil re ipsa infinitum est, perspicuum est, nec motum infinitum esse nec tempus. 8.*cap.*
D Motúsque & tempus cùm superiore finita sint, necessariò principium habuerunt. Si principium habuerunr, necessariò etiam orta sunt. Si motus & tempus orta sunt, necessariò etiam corpus quod mouetur, cùm semper in motu statum habeat, ortum est. Si verò eius temporis quod semper sumptum est, dimidiæ partes ex futuro sumi possunt, addíque ad præterirum, ne tum quidem rempus vnquam præterito infinitum immensúmque re ipsa esse vllo modo poterit.

Ex primo libro Aristotelis de Cælo.

Corpus aliquod simplex sit necesse est, quod suapte natura eo motu cieatur, qui circum medium fertur, & in orbem incitatur.) Quid ergo o- 2.*cap.*
E pus est ab eo quod primo loco motũ affert, moueri eiusmodi corpus, quod natura sua cieatur eo motu qui in orbem incitatur?

Ex eodem libro.

Ex quibus perspicuum est, naturam quandam esse corporis præter *Ibidem.*

concretas quæ hîc ſunt, quæ his omnibus & diuinior ſit & antiquior.) Si A hoc corpus ex ęternitate, ac ſine principio circum terram quę hîc eſt in eſſentiis, mouetur, quî terra priùs & antiquius eſſe poteſt, ſine qua in orbem non incitaretur? Et, ſi ęternũ eſſe ortũmq; non habere, & vtile eſſe ad ea efficienda quę hîc fiunt & oriuntur, vt in eiuſmodi corpus cadit, ſic etiam terrę conuenit, cur illud corpus terra prętantius eſt & antiquius?

Ex eodem libro.

3. cap. Quod autem corpus in orbem incitatur, in eo nec grauitas vlla, nec leuitas ineſſe vllo modo poteſt.) Si id quod grauitate leuitatéque nulla eſt B præditum, tractabile eſſe poteſt: in iis enim quæ grauitatem ac leuitatem habent, tactus inuenitur: quî fit, vt quod ſine illis eſſe non poteſt, habeat, illa autem non habeant? Quo autem pacto motu ſuo vim quandam caloris in aëre efficit, quemadmodum corpora quæ hîc ſunt, in quibus grauitas & leuitas ineſt, quæ ſuo motu caloris efficientes actiones efficiunt?

Ex eodem libro.

4. cap. Motus autem qui per locum fertur repugnantię, ex locorum repugnantiis ſumuntur. Si enim pares eſſent, motus eorum nunquam eſſet. Sin autem alter motus vinceret, alter non eſſet. Ita ſi vtrunque eſſet, fruſtra eſſet alterum corpus, quod ſuo motu non cieretur. Superuacaneum enim eum calceum dicimus, qui nunquam in pedem inducitur. Atqui Deus nihil C ſine cauſa facit.) Si eſſent dum feruntur corpora motus contrarij, aut pares, qui contrario obiectu alij aliorum motus impedirent, ſiue impares & alterius dominatione alterum immobile redderetur, neque id quod ſuperaretur, vi eius qui ſuperaret, motu naturæ ſuæ accommodato cieretur, ſine cauſa facta eſſent ea quæ ita in ſuis naturǽque accõmodatis motibus impedita ſunt: nec Dei hæc opera eſſent, neque naturæ. Si Deus horum quæ ſine cauſa fiunt, effector non eſſet, neque natura. Eorum igitur quę non ſine cauſa fiunt, ſed ſine impedimento motus naturæ ſuæ accommodatos efficiunt, Deus efficiens cauſa eſt atque natura. Quid ergo cauſæ eſt, quin abſurdiſsimum ſit, origine carere ac principio, D æternáque ea dicere, quorum Deus effector eſt, & natura? Quod ſi calceos opificis opera, eos dicimus qui in pedes inducuntur, cur non etiam corpora, quæ natura ſuos motus perficiunt, Dei naturǽque inuenta dicimus?

Ex eodem libro.

Cap. 9. Illud quidem, aliam eſſe formæ rationem eam quæ ſine materia fiat, aliam quæ in materia cernatur, rectè dicitur, ídque verum eſto. Sed tamẽ nullo modo propterea neceſſe eſt plures mundos eſſe, aut plures eſſe poſſe, ſi modò hic ex omni materia conſtet, ſicuti conſtat.) Si carere materia, & admixtũ eſſe materiæ eſt rationis ſiue formæ à ratione differentia, E perſpicuum eſt rationẽ atque formã quæ admixta ſit materiæ, poſteriorem eſſe forma ea quæ materia vacat. Quî igitur mundus expers eſt originis, qui

A qui à ratione & forma posteriore concretionẽ habuit? Si materia formę expers est atque essentię, neque in rebus singulis est antè quàm formã na cta sit, essentiáque fiat, & in rebus singulis sit, quomodo ortũ mundus nõ habuit, qui ex tali materia factus est? Si is qui rationem vnius mundi habuit, multorum etiam mundorũ habuit rationes atque formas, nec quòd ita visum est, mundum effecit sua voluntate, sed materiæ copia mundum vnum efficere potuit, eiúsque penuria plures mundos non potuit efficere: quid est quamobrem non videatur frustra habuisse multorum mundorum formas, quos per materię penuriam efficere non potuit? Si ex eo quod ortum non est, id quod ortum non habuit, oriri non potest, quî
B fit, ut si orta non est materia, nec mundus ortus est, hic ex illa oriatur? Si non vt Deus ea quę ex materia constant, effecit, ita etiam materiam fecit: non facit Deus quę vult, sed quę potest omnia. Si verò parem voluntati vim atque potestatem habet in omnibus, effector est Deus materię, sicuti etiam eorum quę ex materia constant. Si materia quę Deo proponitur ad ea efficienda omnia quę ex ipsa constant, cùm forma careret & essentia, qualitatísque & quantitatis expers esset, vi Dei, versa & mutata est in hęc omnia, essentiáque effecta est qualitate quantitatéque prędita: quid causę est, quin aucta sit ab ipsa vi diuina, quę tam multa in ea mutauit, vt multi mundi ex ea orti sint, sed in vnius mundi ortu consumpta, Deum
C cohibuit, ne plures mundos efficeret?

Ex eodem libro.

Cęlum autem est illud quidem in rebus singulis, & iis quę ex materia constant, sed quoniam ex toto, non ex illius parte constat: vt ratio ipsius cæli & huius quod cernimus diuersa sit, non tamen aliud esse potest, nec plures esse possunt, propterea quòd vniuersam materiam hoc arripuit.) Si cælum est in rebus singulis vt in iis quæ ex materia & forma cõstant, ita vt idem sit esse cælum, formã autem quæ materię admixta non est esse, aliud: quid causæ est quin ortum sit, cùm essentię naturæque suę principium habeat, materię ac formę ex quibus constat, concretionem?
D Si materia per se nec grauitatis, nec leuitatis est particeps: sunt enim hęc corporum quę ex ea oriuntur & fiunt, affectiones: si ex omni materia eiusmodi ortum est cęlum quod nec grauitate pręditum est, nec leuitate, vnde cętera omnia orta sunt, cùm materia omnis in cęli effectione consumpta sit? Si materia antè quàm cæli huius forma prędita esset, nec grauitatem nec leuitatem habuit, sicuti nunc non habet posteà quàm formam accepit, cur non mouebatur antè quàm formam reciperet, quemadmodum nunc cùm formam recepit? Si motu cieri essentię est, & grauitatem leuitatémque non habere, materię est, non essentię: cęlum autem in orbem circúmque fertur, quòd grauitate leuitatéque non sit
E prędítum, perspicuum est, cęlum, hoc habere à materia, quòd ita moueatur, non à forma. Quî ergo libera est à motu, qui in orbem fertur materia ante formam, cùm neque grauitate prędita sit neque leuitate?

Ex secundo libro de cælo. A

Cap. 3. Vnumquodque eorum quorum opus est, operis est gratia. Dei atuem actio est immortalitas, quę in vita posita est sempiterna. Ita necesse est ei quod diuinum sit, motum ęternum conuenire. Qnoniam autem cęlum tale est (diuina enim natura est quędam) ob eam causam rotundum ei corpus datum est, quod naturę vi circum se perpetua agitatione torquetur.) Si eius quod ortum non habuit, & quod æternũ est, status causa nulla est, quorum autẽ opera & munera sunt, ea operis munerísque causa sunt, non igitur æterna sunt, quorum status sunt causa munera. Si eorum quæ inanima sunt, est, præsentia solùm sua ea opera muneráque exequi, quæ sunt B naturæ accommodata, eorum autem quæ ratione vtunrur, voluntate, quî fit, vt cælum Deus sit, cùm immortalem vitam non volũtate agat, sed motu partiúmque suarum translatione? Si id quod origine caret, neque vt fit, neque vt faciat, vllius aut aliquorum quæ extrà sunt, auxilium opémq; re quirit, quî fit vt cælũ quod vt moueatur, terrã circum quã fertur, desyderat, & vt faciat, solem atque lunam, cæteráque astra, expers sit originis? Si eius quod ortũ nõ habuit, nõ est forma & ratio in eo quod facit, quomodo si origine cælum caret, formam materiæ non admixtam in eo quod facit, habet, & formam materiæ admixtam, in materia, qua forma aliud sit esse cælum, quàm hoc cælum esse? Si cęlum voluntate efficere non potest, quæ C motu efficit, quónam pacto Deus æternus est, cùm vitam sempiternam non vltro nec sponte efficiat? Si in iis quæ æterna sunt, vitam æternam cælum non efficit: eam enim habent natura sua: ea autem quæ orta sunt & intereunt, vitæ sempiternæ vsuram non habent, vbi est vita sempiterna, quã cælum efficit? Si non solùm ad eorum quæ oriuntur, sed ad eorũ etiam quæ intereunt originem cæli motus conducit, quî fit vt cęlũ Deus sit, eiúsque actio vita ęterna, quę interitum & exitiũ parat iis quę intereũt? Si id quod ex materia constat, priuari & carere origine simul cum materia non potest, quî fit, vt cęlũ originis sit expers, cùm ex materia constet? Si id quod ex vtroque cõnstat, vtroque posterius est, quî fit, vt cęlũ quod D ex vtroque constat, eiusdem sit cuius vtrumque, ęternitatis? Si forma non ex materia orta est, sed ex eo quod facit, quî fit, vt cęlum quod aliunde materiam, aliunde formam habet, originis sit expers. Si cęlum corpus est quod ex materia constat, globosǽque figurę est, & ortũ non habuit, quid est quamobrem non vtrumque à materia habuit, vt sit & quod est, & ea quę habet, habeat?

Ex eodem libro.

Ibidem. Quoniam autem cęlum tale est, (natura enim diuina est quędam) ob eam causam rotundum ei corpus datum est, quod naturę vi circum se perpetua agitatione torquetur. Cur ergo totum cęli corpus non E est eiusmodi? Quia aliquid corporis necesse est in medio manere. Huius autem pars nulla quiescere, nec omnino nec in medio potest. Etenim si eius naturę aptus esset motus is qui in medium fertur, & natura sua in orbem volueretur, ęternus motus ille non esset. nihil enim quod fit repugnante

A gnante natura, perſpicuum eſt. Quod autem fit regnante natura, eius eſt poſterior, quàm eius quod naturæ aptum eſt, origo: diſceſſúſque eſt quidã ab eo quod naturæ accommodatum eſt, id quod naturæ alienum eſt. Terra ergo ſit neceſſe eſt, quandoquidem in medio quieſcit. Si terram eſſe neceſſe eſt (poſitum hoc ſit, moueri terram non poſſe, de quo pòſt diſſeremus) ſi, inquam, terram neceſſe eſt eſſe, & ignem. Contrariorum enim ſi vnum natura fecit, alterum etiam eadem fecerit neceſſe eſt, ſi ſit contrariũ, eiúſque ſit natura quædam. Eadem enim materia contrariorum eſt, & negatione prior eſt affirmatio, vt calor frigore, quies verò & grauitas ex motus leuitatíſque priuatione dicuntur. Atqui ſi ignis & terra ſunt, ea B etiam corpora ſint neceſſe eſt, quæ medium eorum locum occupant. Repugnantiam enim inter ſe elementa omnia habent. Hoc etiam poſitum ſit nunc, pòſt autem docere conabimur. His ita poſitis ac ſtantibus, perſpicuum eſt, ortum eſſe oportere, propterea quòd nihil eorũ æternum eſſe poſſit. Accipiunt enim & quaſi patiuntur alia ab aliis, faciúntque contraria, aliáque interimuntur ab aliis. Præterea non eſt conſentaneũ, aliquod eſſe quod perpetuo motu cietur, cuius naturæ aptus eſſe non poſſit motus æternus. Atqui horum motus eſt. Ex his ergo perſpicuum eſt, ortum eſſe oportere: ſi ortum, alius etiam motus ſit aut vnus aut plures, neceſſe eſt. Pro motus enim vniuerſi ratione elementa etiam inter ſe eandem rationem C habere debẽt. Sed de his alia diſputatione mox planiùs differetur. Nũc hoc tantùm perſpicuum eſt, quam ob cauſam plura ſint rotunda corpora, nempe quòd ortus eſſe debeat, ortus autem ita demum neceſſarius eſt, ſi etiã ignis eſt: hic autem atq; cætera, ſi & terra: hæc porrò ob eam cauſam neceſſaria eſt, quòd aliquid perpetua quiete teneri oporteat, ſi modò aliquid neceſſe ſit perpetuo motu cieri.) Si quòd nec grauitate præditum ſit nec leuitate corpus eſt, quod circũ medium cæli corpus perpetuo pulſu agitetur, totum cæli corpus neceſſe eſt circũ medium moueri. Si cælum eiuſmodi corpore eſt præditum, ſed talem motũ non habet, profectò contra naturã mouetur. Si cæli corpus circum medium fertur, non tamen motu elementi ex D quo corpus eſſe dicitur, ſed in orbem partiũ quæ viciſsim fit migratione: cur non motus qui in orbem fertur, elementi motum ſuperat? Et ſi nullo modo corporibus quæ ex elementis conſtant, motus & forma conuenit, ſed ex elemẽtis ex quibus concreta ſunt: quî ex cæli corpore motus neceſſitas immutata eſt? Corpori in quo nec grauitas ineſt, nec leuitas, neceſſe eſt habere ſtatum firmũ & immobilem, magis quàm motũ quietis & ſtatus expertẽ. Etenim ſi nec pondere deorſum, nec leuitate in ſublime fertur, neceſſe eſt illud ab omni motu liberũ manere. Si lapis globi forma & figura efformaretur, & in aëre collocaretur, vt deorſum in locũ ſuũ ſe reciperet, nun E quàm propter figuram inferiora eo motu qui in orbem fertur capeſſeret, ſed recta linea ſuo pondere ferretur. Cur igitur quinta natura, ex qua eſt cælum, quæ ſolet circum medium torqueri quòd grauitate prædita non ſit aut leuitate, nõ ſuapte natura, tota ſimul cum ſuis partibus circũ medium fertur, ſed partium quæ viciſsim fit migratione, in orbem circúmque

fertur, cùm is motus non ſit naturæ elementi, ſed globoſæ figuræ? Si ne- A
que id quod eſt naturæ alienum,nec quod ſuperuacaneum,nec quod fru-
ſtra,in naturis ęternis reperitur, quid eſt quamobrem non contra naturā
cælum moueatur,habeátque ſine cauſa & fruſtra elementi naturam, qua
non mouetur, & ſine neceſsitate ab eo quod primo loco motum affert,
nec mouetur,eo motu cieatur,quo etiam ſine illo cieri poſset?Si id quod
quieſcit,nō quieſceret ſemper in medio,nunquam id quod mouetur ſem-
per,circum medium ferretur.Quid ergo afferri poteſt,quin falſum ſit,cæ-
lum ſuapte natura ſemper moueri? Niſi terra eam naturam habuiſſet,quā
habet,nec ſita vbi eſt,fuiſſet:itémq; cælū niſi ea natura quæ in eo eſt præ-
ditū fuiſſet,neq; in loco in quo eſt locatū fuiſſet,nunquā id quod motu cie- B
tur,motū eſſet,nec quieuiſſet quod quieſcit,quî igitur hęc æterna ſunt origi
néq; carent,quorū vtrumq; naturam & ſitū ab altero accipit, quod propriū
eſt eorum quæ orta ſunt?Si in naturis æternis nec prouidentiæ nec caſui lo
cus relinquitur(quæ enim prouidentia fiunt, poſteriora ſunt prouidentia,
& quod caſu fit, aut contra naturam eſt,aut accidens eſt iis in rebus quę
voluntate getuntur:ſed id quod contra naturam fit,poſterius eſt eo quod
naturæ eſt accōmodatū.Diſceſſu enim ab eo quod naturæ accōmodatū eſt,
fit id quod alienū eſt naturæ,&quod interuenit in iis quę volūtate iudicióq;
fiunt,poſterius eſt voluntate)quî fit vt in iis quæ æterna ſunt,aliquid ſit re-
rum ſingularū vna,quòd aliquid aliud ſit in rebus ſingulis?veluti quoniam
cælum eſt, neceſſariò eſſe terrā:ſi verò terra eſt,&cælum.Hoc autem opus C
& munus eſt prouidentiæ,quæ hanc vniuerſitatē ex partibus eſſentia ne-
ceſsitatéq; diuerſis effecit.Aut igitur æterna non ſunt cælum atque terra,
quæque in eis ſunt omnia, quæ eò pertinent, vt ſint,aliáque ab aliis &
faciant & accipiant, ſiue patiantur: aut certè ſi æterna ſunt, non neceſ-
ſe eſt hoc illud eſſe, quoniam hoc illud eſt. Ariſtoteles neceſsitate vna
quæ æterna eſt poſita, multas alias æternas ex ea quam poſuit, conne-
xuit. Neceſſe eſt, inquit, motum eſſe æternum. Si motus eſt, tempus
etiam æternum ſit neceſſe eſt. Numerus enim motionis eſt tempus. Si
æternus eſt motus, neceſſe eſt eundem hac ex parte eſſe continuum. Si
continuus perpetuúſque motus eſt, neceſſe eſt eſſe corpus ſimplex D
præter ea corpora quæ hîc ſunt, in quo nec grauitas nec leuitas inſit.
Naturæ enim grauitate & leuitate præditæ cùm rectis lineis feruntur,cō-
tinenter moueri nequeunt. Si continenter mouentur, globoſæ figurę ſint
neceſſe eſt. Hac enim figura vna motus continuari & perpetuari
poteſt. Si in orbem circúmque fertur, neceſſe eſt terram ſitam eſſe in
medio perpetua quiete fruentem, vt circum eam globi motus feratur.
Si terra, neceſſe eſt etiam corpora quæ terræ & igni interiecta ſunt.
Si autem hęc ſunt, ortus rerum ſit neceſſe eſt. Sed quoniam hęc ę-
terna eſſe non poſſunt, nec ortum eſſe neceſſe eſt, nec alia rotun- E
da corpora: verùm ſi hoc illud eſt, neceſſe eſt hoc illud eſſe, in iis
quæ origine carent, & æterna ſunt, locum nōn habet. Non igitur ea
quæ enumerauit, æterna ſunt, expertiáque originis. Si quoniam à terra
eſt

A est, necesse est etiam ignem esse, & corpora quę his interiecta sunt, quî fit vt si terra origine careat, sitque æterna, ignis non sit æternus, qui & leuis sit, & supera capessat? Si enim, vt ait, quorum contrariorum alterum natura est, alterum quoque esse natura necesse est, quid afferre potest, quin alienum absurdúmque sit, terram & æternam esse & originis expertem, ignem autem non esse sempiternum? aut ignem eternum non esse, & terram esse ęternam, quorum vtrumque vtriusque est gratia? Si ortus causâ necesse est alia esse rotunda corpora, quid est quamobrem non ortus æternarum naturarum causa sit? Æterna enim sunt rotunda corpora, ortúsque rerum eorum motione. Si hoc absurdum est, rotunda corpora origine non carent. Quorum enim status aliorum origo causa est, eorum origo B est, neque æterna sunt. Si iis naturis quæ æternę sunt, conuenire potest, id quod iis quæ arte sunt conuenit, hoc necesse est esse, quoniam hoc est illud, nihil inter eas quę ortę nō sunt, & eas quę ortę sunt interest. In iis enim, inquit, quæ æterna sunt, posse esse, & esse non differunt.

Ex eodem libro.

Quoniam autē duobus modis aliquid in orbem circúmque ferri potest, vt ab A vno motu ad B cieatur, & altero ad C: eos quidē motus non esse cōtrarios, antè dictum est. Quòd si nihil casus & fortuna in iis possunt, quæ æterna sunt, cælúmque æternum est & motus is qui in orbem circúmque C fertur: cur in alteram partem fertur, & nō in alteram? Necesse est enim vel hoc etiam principium esse, vel eius esse principiū. Et paulò infrà. Si enim natura semper facit, quoad eius fieri potest, id quod est optimum, éstque quemadmodum eorum motuum qui recta linea feruntur, is quo res superiora capessunt, pręstantior (est enim superior locus inferiore diuinior) sic is qui antè fert eo qui ponè (siquidem dextra & sinistra pars, vt antè dictū est, eam inter se rationem habent: & quæstio quæ posita est, cælum partem priorem posterioremque habere declarat, hæc enim causa quæstionem explicat) si inquam, quàm potest optimè constitutum est, hęc etiam causa erit eius quod quæritur. Optimum est enim cælo simplici motu perpetuóque D cieri, atque in id quod est optimum.) Si natura fecit vt cęlum antè nō ponè moueretur, quæ semper ex iis quæ potest id quod optimum est efficit, quî tandem cælum æternum est eiúsque motus, cùm & à natura factū sit, & præstantissimo cieri motu habeat? Si quæ differentia est inter superiorem locum & inferiorem, ea etiam in motu quo antè & quo ponè res mouentur, inuenitur ex eo quod præstantius est, quod diuinius & quod optimum: quid afferri potest, quin hi motus contrarij sint, cùm tanta sit inter eos dissimilitudo & differentia? Si simpliciū naturarū motus simplex non ex eo quod potest, sed ex necessitate sumitur, quomodo cælū duobus moE dis moueri potest, cùm simplex corpus habeat, & fortuito motu cieatur? Si omni ex parte cęlum sibi ęquabile suíque simile est, habétque partes partibus ęquabiles, & vtcunque moueatur, motū enim qui in orbē circúmque fertur, seruat & retinet, potest igitur & à meridie ad septentriones moueri, & à septentrionibus ad meridiem, sicuti ab ortu ad occasum & ab occasu

ad orientem solẽ moueri potest. Quid est igitur, quamobrem non frustra A
& sine causa natura cæli corpori tot motuum facultates attribuerit, si quadripartitas quidem facultates habeat, vno autem modo moueatur?

Ex eodem libro.

Cap. 7. Sequitur vt stellæ ex quibus constent, & in quibus figuris, quísque sint earum motus, dicẽdum esse videatur. Consentaneũ est etiam maximè iis quę dicta sunt, vt deinceps faciamus vnãquamq; stellam ex eo corpore cõstare in quo cursum suum conficiat, præsertim cùm quiddam esse dicamus, quod naturæ vi in orbẽ feratur. Vt enim ij qui eas igneas esse dicunt, idcirco dicunt, quòd altissimũ corpus ignem esse aiunt, tanquam consentaneum sit vnamquãque constare ex iis, in quibus quæque est: sic nos quoque dicimus. Calor autẽ ab eis & lumen proficiscitur, quòd aër àb earum B
motu atteratur. Solet enim motu conflictúque & ex lignis & ex lapidibus, & ex ferro ignis elici. Consentaneum est autem ex eo magis elici, quod est igni vicinius: propior verò est aër. Id quod in telis fieri cernimus. Hæc enim ipsa ita ignescunt, vt plũbum etiam colliquescat, & cùm ardẽtia & flãmea reddita sunt, hoc ipsum aër etiam qui circunfusus est, sentiat necesse est. Atque hęc quidem ipsa calent, quòd per aëra ferantur, qui pulsus ictu ipso & tritu igneus redditur. Vnaquæque autem stella in sphæra mouetur atque fertur. Ita fit vt non ignescant ipsę, sed aër qui est infra naturæ rotundæ orbem, cùm ille fertur, necessariò calescit, atque is maximè in quo sol inhęret. Itaque eius accessu & ortu, & cùm supra nos est, calor C
oritur. Ac eas quidem non esse igneas, nec ferri in igne, hæc à nobis de illis dicta sint.) Si ex eadem materia ex qua cælum est, stellæ etiam constãt, quid afferri potest, quin illud falsum sit, Ex omni mareria cælum generatum est, & illud, Omnẽ materiã arripuit? Si id quod mouetur, & quod motu suo aliud calefacit, nisi antè ipsum motu suo calescat, alterum calorẽ afferre non potest, quî orbis & astra quæ in eo inhærent, aëra calefaciũt suo motu, cùm ipsa nõ calescant? Si id quod suo motu actiones caloris efficiẽtes efficit, necesse est vel grauitate, vel leuitate esse præditum, quónam pacto cælũ atq; astra in quibus nec grauitas, nec leuitas inest, actiones in quibus vis insit caloris, efficiunt? Si ea quæ eandẽ habent essentiam quæ moueri possit, necesse est eodẽ per se motu cieri, non per aliud assumptitiáque D
vi: quid est quamobrẽ non sol aduẽtitio motu externóque cieatur, si in orbe inhæret? Eadémque est cæterarũ stellarum ratio, si non per se, suis motibus & interioribus ciẽtur, sed ab orbibus in quibus inhærent. Si ex eadem materia sol constat ex qua cælũ, quę nec grauitatis, nec lenitatis sit particeps, & figurã rotundã globosámq;, sicuti cęlum, habet: cur vterque nõ eodem modo mouetur, aut partim contraria mutatione, quemadmodum sol mouetur? Si nihil cõtra naturã alienúmque naturę fit in iis quę ęterna sunt, quid afferri potest, quin sit contra naturã suam aliquid eo motu quẽ à natura accepit, nõ per se, sed per aliud cieri? Mouẽtur enim & sol & astra nõ E
à se, sed ab orbibus in quibus inhærent. Si vt ea quæ ortũ habuerunt, formæ præsidio sunt id quod sunt, sic ea quæ origine carent id quod sunt à

A forma habent, posteriora sunt forma ea quæ expertia sunt originis. Quod si fieri non potest, non ex forma constant ea quorũ non est origo. Ea autẽ si ex forma non sunt, quomodo vnumquodque eorũ necessitatis vsúsq; causa est id quod est, & habet, facítque id quod facit? Quæ enim vsus necessitatísque causa sunt, rationis sunt opera & prouidentiæ. Si ea quæ orta sunt, ex forma & materia constant, non ex forma & materia constant ea quorum origo nõ est. Si, vt ait Aristoteles, nihil frustra & sine causa in naturis æternis fit, nec contra naturã, cur ex iis quæ de solis motu dixit, vtrumque in solem conuenit & quod frustra ac sine causa fit, & quod contra naturã? Si enim sol in orbe qui ei motum affert, non inhærens, eodem motu suapte natura, quo nunc cietur, cieretur, quid est quamobrem non sine causa & frustra in orbe inhęserit? Si verò non hoc motu natura cieretur, sed alioqui diuersæ ab hoc siue quantitatis siue qualitatis esset, quid afferre potest, quin nunc motu naturæ suæ alieno cieatur?

B

Ex eodem libro.

Relinquitur, orbes moueri, & astra quiescere, fixáque orbibus ferri.) Si natura sua stellæ in orbibus quiescunt, frustra in orbibus inhærent. Sin cõtra naturam quiescunt, perspicuũ est vi eadem quiescere. Atqui in iis quæ ęterna sunt, nec sine causa, nec contra naturam quicquam fit. Non igitur inuenit Aristoteles rationem qua stellæ mouentur. Æterna enim astra facit, & tamen in iis quæ de stellarum motu disseruit, vtrumque perspicitur & quod frustra & quod contra naturam fit. Si æternę stellę sunt, ęternúmque cęlum in quo astra inhęrent, & vtrumque Dei nomine appellatũ est, quid causę est, quin dij à diis trahantur atque rapiantur? Ea enim quę in eo infixa sunt quod mouetur, tractim mouentur. Si alia est essentiæ cõcretio, (ex materia enim & specie constat) alia ea quę est ex partibus in quibus est essentia, cur hęc ęterna dicuntur, in quibus vtraque cõcretio & cõglutinatio reperitur? Cęlum enim quod inhęrẽtem solem atque astra, partes habet, ex eis concretum est. Cùm enim ea habet in se, cęlum est. 8. cap.

C

D

Ex eodem libro.

Præterea absurdũ est, nullum eis ingrediendi mouendíque membrum atq; instrumẽtum dedisse naturam (nihil enim fortè, temere & casu natura facit) eámq; animantibus consuluisse, & tam præstantes naturas neglexisse: sed quasi consulto & studio ea membra omnia, quibus ingredi per se possent, denegasse eis videtur.) Si eorum quæ & æterna sunt, & origine caret, effector nullus est, nec cuiquam curæ sunt ea quæ sunt, aut habent natura quæ habent: quî fit, vt si cælum origine caret & quæ in cælo sunt, eiusdem sunt cuius illud est æternitatis, naturã habeant effectricem procuratricémque eorum quæ ad eorum concretionem conglutinationémque pertinẽt? Si ęquum erat eum qui de motu eorum quę ęterna sunt dissereret, dicere nihil naturam facere fortè, temere & casu: quid est quambrem non perspicuum sit, & cęlum, & ea quę in cęlo perspiciuntur, opera esse naturæ, quæ eis instrumenta motus ademerit? Ibidem.

E

Ex eodem libro. A

Ibid. Quoniam igitur necesse est cælum motu suo cieri,cæteráq; astra non per se progredi ac commeare,rectè vtraq; rotunda erunt.Sic enim facillimè & illud mouebitur,& hæc quiescent.) Si quiescere id dicitur,quod eo motu cieri potest,à quo quiescit,quî astra quiescunt,quæ motum suum ac proprium non habent,quo ea cieri oporteret?Si verò vim quidem se commouendi habent,sed ea impedita est quòd in orbe inhærent, quid causæ est, quin contra naturam motu cieantur sempiterno?Si iis quæ perpetuo motu cientur,globosa figura vt apta eis & accommodata concessa est , cur eorum quæ globosæ figuræ sunt,aliud semper mouetur , vt cælum, aliud semper quiescit? B

Ex eodem libro.

9.cap. Quapropter quoniam non videtur hoc semper fieri,certè nec animatarũ rerum suo ac proprio motu, nec violento vlla earum cietur: quasi natura præsentisceret, nisi hoc modo motus se haberet,fore, vt nihil esset eorum quæ locum hunc obsident,quod similem vim haberet.) Quî ergo æterna sunt originéq; carent ea,quæ naturæ prouidentia hoc acceperunt,vt & talia essent,& ita mouerentur?Nam & quæ prouidẽtia fiunt, posteriora sunt prouidentia,& quæ æterna sunt,rei nulli secunda sunt.Si id quod futurum est,antè quàm esset,non erat,quî vtrumque in cælo atque astris eorúmque motu verè intelligi potest,quod futurum erat,eáq; & æterna esse & originis expertia?Quod enim futurum est, nondum est, & quod æternum est, & quod origine caret,semper est.Si natura genus motus cęli quod expositum est,fore prouidit,vt ea quæ hunc locum obsident,ita se haberent,vt habuerunt:quî fit vt hęc ęterna sint & originis expertia,quę eorum causa quæ ortum habuerunt, & sunt vt sunt,& mouentur vt mouentur? C

Ex eodem libro.

11.cap. Quoniam enim demonstratum est,ea nec per se moueri natura,& natura nihil sine causa & frustra facit, perspicuum est, eam dedisse figuram eiusmodi iis quę non mouẽtur loco,quæ minimam motum afferendi vim habeat. Atqui orbis minimam afferendi motus vim habet, propterea quòd nullũ ei ingrediendi instrumentum tributum est.Perspicuum est igitur rotũda globosáque esse sydera.) Si natura dedit iis quæ perpetuo motu ciẽtur,rotundam globosámque figuram,quæ apta esset ad motus facilitatem: quid causæ est, quin frustra talem figuram astra adepta sint,quæ & orbibus inhęrent, nec motu eo qui eorum naturæ accõmodatus est,cieri possunt?Si astra eam vim non habent,vt per se moueantur, non igitur habẽt natura motum sempiternum.Cur igitur constant ex eodem elemento, ex quo etiam cælum constat,quod neque grauitate præditum sit, neque leuitate?Si cælum quidem quòd & ex tali elemento constat,& rotũdæ globosæque figuræ est,naturæ vi sempiterno motu circum medium mundi locum cieri per se potest,astra autem quæ ex eodem elemẽto sunt, eandémquefiguram habent,naturæ vi per se non mouẽtur:frustra vt videtur,dedit eis natura & essentiam& figuram aptam ad motum sempiternum , si D E

statum

A ſtatum habent ab omni motu liberum. Quòd ſtellæ eſſentiam habent & figuram quæ perpetuo motu cietur, ſtatúmque ab omni motu ſolutū ac liberum, quid cauſæ eſt, quin argumento ſit eas ſine cauſa & fruſtra effectas eſſe, ex quo factum ſit, vt contra naturam quieſcant? Si eorum quę ortum non habuerunt, & æterna ſunt, eſſentiæ atque naturę effectionem ſuperant & quæ à ratione proficiſcitur, & quæ ſine ratione exiſtit, quî fit, vt ſi cælum origine caret, & ſydera, ſint id quod ſunt, & habeāt id quod habent naturæ quæ nihil ſine cauſa & fruſtra facit, prouidentia? Si aſtra moueri minimè oportuit, cur ab aliis mouētur omnino? Sin ea moueri oportuit, cur nō per ſe mouentur, ſed ab aliis, cùm & facere poſſet natura, vt per ſe eo motu cierentur, quo nūc ab aliis ciētur? & ea ab omni motu interiore ac ſuo in eſſentia ad motū aptiſſima liberauerit? Si in rebus æternis nihil fit contra naturā, & contra naturā eſt, eſſentiam quidem & figurā habere ad motum ſempiternum aptiſſimam, ſtatum autem motus expertem, aut nō æterna ſunt ea in quibus id quod cōtra naturam fit locum habet: aut certè falſum eſt, in iis quę ęterna ſint nihil quod fit contra naturam, interuenire. Si nihil eorum quę orta non ſunt, nec quod habet, nec quod non habet, cuiuſquam habet aut non habet prouidentia: cur cęlum & aſtra ſi origine carent, naturę prouidentia, inſtrumētum quidem motus non habent, globoſam autem figuram habent pro inſtrumēto, quę multo aptior ſit, quàm membra ingrediendi, ad continuam perennémque motionem?

C

Ex eodem libro.

Prima enim motio quæ vna eſt, multis diuinis naturis motum affert: cæteræ autem quę multę ſunt, vnam tantùm pellunt. Vnaquæq; enim ſtellarum errantiū multis motibus cietur. Hac ergo ex parte natura æquabilē tributionem adhibet, ordinéque quodam omnia diſtinguit, quę & vni motui multa corpora, & vni corpori multos motus tribuit: & prętereà ob eam cauſam vnum corpus habent cęteri orbes, quòd multa pellunt corpora, ij qui citimo atque eo qui aſtrum vnum continet, ſuperiores ſunt. Multis enim orbibus citimus orbis inhęrēs mouetur, cùm vnuſquiſque orbis corpus ſit.) Si eſſentiarum quę ortum non habuerunt, ęternǽque ſunt, nemo eſt opifex, quî hæc ęterna ſunt, originéq; carēt, quorum ordinis & deſcriptionis natura eſt artifex, quę & vni motui multa corpora attribuit atque adiunxit, & vni corpori multos motus, exæquās multitudinem vnius corporis motuum corporum multitudini? Si hæc nec orta nec facta ſunt, quî in iis quorū origo non eſt, naturalis ordo, qui factus ſit, extare poteſt? Orbis orbi inhęrens, qui eiuſdem eſt eſſentię, cuius eſt orbis cui inhęret, quî fit vt non vtramq; earum abſurditatum habeat, quę in naturis ęternis minimè reperiuntur, id eſt, quin & fruſtra habeat eſſentiam motus participem, qua non mouetur, & contra naturam aduentitio æternóque pulſu agitetur? 2. cap.

D

E

Ex tertio libro de Cælo.

Quoniam autem eorum quę natura dicuntur, partim res ſunt, partim eorum opera & affectiones (res autem eſſentiáſque voco & ſimplices naturas,

vt ignem, ac terram, quæque ſunt eiuſdem,cuius hæc generis, & quæ ex eis conſtant,vt totum cælum eiúſque partes,& rurſus animantia & quæ oriuntur è terra,& partes eorũ.)Qui cælũ eſſe dixit ex ſimplici quodam elemento,quod differat ab iis noſtris elemẽtis,nec cælũ oriri aliud poſſe,quòd hoc materiã omnem arripuerit:cur nunc ex iiſdem elementis conſtare cęlum aſſerit,ex quibus & animalia & quæ oriuntur è terra?Quòd ſi cęlum aliud ex aliis elemẽtis ortum eſſe dicit,quid cauſæ eſt,quin illud quod ait, falſum ſit,cęlum aliud præter vnum eſſe nõ poſſe?Si verò idem cælum dicit, interdum ex alio elemento conſtare quod ſit quàm hæc noſtra diuinius,interdum ex iiſdem elementis , quid afferre poteſt,quin alterutra ex parte mentiatur? A B

Ex eodem libro.

Ibidem. Ac de primo quidem elemento dictum eſt & quale ſit natura ſua, & interire illud nõ poſſe,& non habuiſſe originem.)Si elementum eſt,id ex quo inſito oritur id quod oritur,quomodo idem & elementũ eſſe poteſt,& carere origine? Si primùm eſt elementum,deinde id quod ex elemento cõſtat,quî origine caret elementum,ex quo cælum concretum eſt,& cælum quod ſimul cum illo originem non habuit?Si propterea ortum non eſt elemẽtum,quòd ex elemento non conſtat,quî fit,vt cælũ,quod ex elemento eſt,ſit expers originis? C

Ex eodem libro.

6.cap. Æterna quidem eſſe nõ poſſunt.Nam & ignem, & aquam & vnũquodque ſimplex corpus diſſolui cernimus.Multò pòſt, Elemẽta igitur orta eſſe & interire poſſe neceſſe eſt.) Si corporum elemẽtum etiã terra eſt,cur terram ſimul cum cælo & ab omni æternitate fuiſſe, & origine carere dixiſti,cętera autem elementa orta eſſe,& interire?

Ex eodem libro.

7.cap. Elementorum origo ex eo fit,quòd alia in alia ſe vertunt.) Quî fit vt elementa alia ex aliis oriantur, cùm primò , non oriantur ex mutua origine? Hanc enim originem neceſſe eſt illi antecedere.Cùm enim iam ſunt, alia in alia ſe vertunt,& vltro citróque alia oriuntur ex aliis. D

Finis.

Quæ deinceps hoc loco in Græcis exemplaribus , quæ ex Regis Galliæ noſtræ bibliotheca prodierunt,& ad nos ſola peruenerunt,ſine interuallo ſequũtur,non cohærent cum ſuperioribus. Sunt autem eadem iterum in Græcis exemplaribus quæ dixi,pag. 299. & ei proxima, eáque nos ob eam cauſam ſeparatim à nobis conuerſa hic locauimus.

IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS QVÆSTIONES GENTIBVS POSITÆ

Ioachimo Perionio Cormœriaceno interprete.

1 A NAtura,quę facit ea quæ naturalia ſunt,ſi non priùs & antecedenter,fiat ab eo quod non natura facit,neque * ſuppetit,neque facit.

2 Non ſimpliciter & abſolutè omne * quod ortũ eſt & interit,in ortu quatuor temporis partibus,principium & progreſſum, conſtantem ætatem, & ſenectutem : ſed quod natura vel arte efficitur.

3 Si noſtris nominibus Deus appellatur,omne ſi quid vocatur nõ eſt neceſſe cõſequi in Deo ex nomine omnia quæ in noſtrũ nomẽ conueniunt. Vocatur autem Deus & veritas,& bonus:quorum vero falſum oppoſito nomine reſpondet,& bono malum. Atqui Deo nihil eſt contrarium: quod cùm Plato minimè intellexiſſet, aliquid Deo contrarium tradidit,nempe malum quod neceſſarium eſt & æternum.

4 Nõ eſt quicquã,quod nõ ſit in rebus ſingulis:veluti nõ eſt corpus,niſi certũ quoddã corpus. At ſi materia nõ habet vt ſit hoc aliquid,nec igitur eſt omnino. Inſeparabile enim eſt ab eo quod omnino eſt,eſſe hoc aliquid.

5 Natura & ars ex eſſentiis efficiunt quæ faciunt,velut ex ſemine hominẽ natura facit,& ex homine ſemen,ſemen autem & homo ſunt in eſſentiis. Similíque modo artes ſtatuam ex ære faciunt, & ex lateribus domum,eſſentiæ autẽ ſunt & æs & lateres. Cũ igitur materia nõ ſit eſſentia,quíſnã eſt qui ex ea fecit,ſi natura & ars nihil ex eo quod non eſt eſſentia faciant?

6 Si eſt corpus,vt ait Ariſtoteles,nec graue,nec leue,neq; vnũ elementorum quatuor,nec ex elementis quatuor cõcretũ:perſpicuum eſt,ſi hoc verum ſit,eſſe corpus quod nec calidũ ſit,nec frigidum,nec natura, nec per accidens vel ex affectione. Quod enim natura vel affectione calidum eſt vel frigidum,elementorum eſt quatuor. Si verò corpus non eſt nec natura calidum aut frigidum,nec affectione,non iam eſt corpus graue,aut leue,neq; vnum quatuor elementorum. Quomodo igitur æthera calidũ eſſe dicit motu cæleſtis corporis eorúmque corporum quæ in eo motu ciẽtur? Quæ enim corpora motionibus calefaciunt, ſi ante ea quæ ab ipſis calefiunt,caleſcãt,perſpicuũ eſt ea affectione cõcaleſcere. Si affectione,perſpicuum eſt cõmutatione:ſi cõmutatione,perſpicuum eſt,mutatione: ſi mutatione,non eſt dubium , quin ex cõtrario in contrarium mutentur. contrarium autẽ caloris frigus eſt:ex frigore igitur in calorẽ mutantur. Atqui cùm non ſit corpus,quod ex frigore in calorem affectione mutetur,quod nec ſit in quatuor elementis,nec ex quatuor elementis concretũ,efficitur, cæleſte corpus non eſſe elementum diuerſum à quatuor elementis. Caleſcit enim dum ex frigido in calidum mutatur.

7 Si corpora quæ motu calent, maiore motu magis caleſcunt, quomodo ſol Ariſtotelis ſententia,corpus eſt,quod nõ natura calet,ſed motu,ſi ma-

iore motu magis nec calescit,nec calefacit, sed semper impare motu parẽ A
calorem obtinet?

8 Si Aristotelis sententia,essétię definitio est, Quod cõtrariorũ vicissim est receptaculũ:cur rursus ait idem Aristoteles materiẽ non essentiam,quæ vicissim capiat contraria:priuationem enim formæ & formã capit.Si qui eo priuatur,ne sit hoc aliquid,is etiam non est:cur ait Aristoteles fieri nõ posse,vt ex eo quod omni ex parte non est,aliquid oriatur?cùm materia eius ratione & sententia,nec sit omnino,nec in rebus singulis.

9 Si ex eo quod planè nullum est,nihil fit,perspicuum est ex eo quod est, aliquid oriri.Quoniam autem materia hoc ipsum est, quónam modo ve- B
rum est,quod ait Aristoteles,materiem non esse nihilum?

10 Si materia non commutatur,quicquam fieri ex ea non potest. At si omne quod commutatur,ex hoc in illud commutatur,nec materia est hoc, non commutatur igitur:ex quo efficitur,nihil ex ea oriri.

11 Si ex quouis in quiduis non fit mutatio, sed in contrarium in eodem genere:veluti in qualitate ex candore nõ in magnitudinẽ,sed in nigrorẽ fit mutatio.Qua igitur ex re & parte mutatur materia in ortu, earum essentiarum quæ ex ea oriuntur,cùm nihil habeant quod mutari queat?

12 Si quod in animãtibus est animal,& in iis quę colore tincta sunt,color, id est in iis quæ ex materia cõstãt,materia:quî fit vt sublatis animãtibus,v- C
nà etiam animal tollatur,iísque sublatis, in quibus inest color, tollatur etiã color:at sublatis iis quæ ex materia constant,materia minimè tollatur? Quòd si vnà cum iis quæ ex materia constant, materia tollitur, quónam modo materia rebus materia prędìtis est antiquior & prior?

13 Si carere & participare eorum est quæ sunt,perspicuum est id quod omni ex parte non est,nec vlla re participare,nec carere. Quomodo igitur priuationis materia est particeps,cùm in iis quæ sunt minimè habeatur?

14 Si idem in eodem vtroque motu cieri nõ potest,& eo qui secundũ naturã est,& eo qui cõtra naturã:quî fit,vt sol natura ab occidente ad orientẽ moueatur,cõtra naturã autẽ per sphæram ab oriente ad occidẽtem? Neq; D
enim fieri potest,vt idem in eodem natura contrariis cieatur motibus.

15 Si sol non esset,superuacaneus esset oculus,& non extante oculo,sol superuacaneus esset.Quoniam autem vterque vtriusq; causa necessarius est, vterque ortus est.Quod enim ortum non est,nullius rei causa ortum non est,sed tantùm sui causa,imò verò non sua causa. Quod enim causa non est,causę ratione caret & nomine.

16 Si fieri non potest,vt extante tempore id quod ortũ est à causa quidem fiat,sed non ex tempore, quomodo aiunt Gentes mundum ortum esse à causa,non ex tempore?

17 Si mũdus sine anno esse non potest,quî fit vt æternus mundus sit,nec E
sit ortus?cùm annus non sit æternus,sed ex multorum dierum circuitione statum habeat?

14 Si annus ortus est, quî fit vt careant origine sintque æterna ea quæ annus complectitur? Finis.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI IN LIBRVM IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS DE ARISTOTELIS decretorum euersione, Obseruationes.



Τῶν κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην σπουδὴν, &c. id est Eorũ quæ humano studio, &c.) In hunc Aristotelis librum breues obseruationes scripsimus, vt quorum capitum librorum octo de natura, & de cælo ac mundo loca Iustinus reprehendisset, & si qui errores inessent in libris proferendis (sunt enim permulti) doceremus. Hoc autem intelligendum est, hunc librum multo prolixiorem esse eo, quem Photius ab eo scriptum esse dicit. Illum enim tãtùm in primum & secundum librum de natura Aristotelis scripsisse ait, cùm in tertium, quartũ, quintum, & octauum de natura, primum, secundum & tertium de cęlo, vt videmus, scripserit. Eundem quidem & in quintam naturam, quam Aristoteles ponit, & in motũ æternum scripsisse cõfirmat: ij autem libri sintne alij, & ab hoc separati, ignoro. Sed ad institutum nostrum veniẽdum est. Non est hoc libri principiũ, sed præfatio quædã ad Paulum presbyterum, cuius rogatu hũc se librum Iustinus scripsisse cõfirmat. Ex ea autem hoc intelligi potest, non in Aristotelem vnũ, Iustinũ scripsisse librum, de quo loquatur, sed in omnes eos quos Gẽtes nominamus. Ait enim se illius iussu breuia quædã decretorum Gentium de Deo & creata natura collectanea scripsisse, cum in hoc opere Aristotelis tantùm de illis rebus sẽtẽtias refellat. Mihi quidem hoc mirum videtur, quòd Iustinus ad illũ vnum Paulum scribens, Iustinus inquam, qui ab hinc mille & quadringentos annos fuit, verbis numeri multitudinis, sit vsus. Hæc enim eius verba sunt. ταύτην δὴ τὴν προθυμίαν ἐν ὑμῖν, ὦ τιμιώτατε πρεσβύτερε παῦλε σφόδρα ἔχειν διαπυρον, ἑτοίμως ὑμῖν ὑπήκουσα περὶ ὧν ἐπετείλατέ μοι, & quę sequũtur. i. Hoc quidẽ in te studiũ, Paule, quoniã vehemẽter ardẽs esse intellexi, libẽter tibi morem gessi, præcipienti, &c. Quibus in verbis participiũ ὁρῶν, aut simile deesse intelligimus. Si quis hæc malè à me omissa putet, τιμιώτατε πρεσβύτερε sic addẽda erũt, clarissime presbyter, siue sacerdos: hãc quasi præfationem à loco hoc cõmuni orditur, Eorũ quæ humano studio Dei cultus causa ab hominibus præclarè gerũtur, nihil est Deo tam gratũ & acceptũ, quàm dare operam pro sua parte, vt homines meliores euadãt, vt Pauli cuius hortatu, &, vt ait, iussu hũc librũ scripsit, studiũ laudet, quo tam vehemẽti, quàm fuisse ait, ductũ se hunc librum vltro ac spõte scripsisse cõfitetur. Locũ cõmunem vt per se notũ Christianis, nõ probat. Ij enim omnes intelligũt, tantæ curæ Deo patri hominũ & virtutẽ & salutẽ curæ esse, vt filium suũ vnigenitũ harũ rerum duarũ causa miserit. Ex quo intelligimus id verũ esse quod ait, nihil esse Deo tam gratũ, quàm dare operã, vt homines meliores euadãt. Ex cõtrario igitur cõcludere possimus, nihil esse quod Deo tam displiceat, quàm dare operã, vt homines deteriores euadãt. Quæ si consyderaremus, cum omnes, tum ij maximè, quibus alij cõmissi & traditi sunt, darẽt operam, vt suos meliores redderẽt, nec passim tot támque perniciosa malè viuẽdi exẽpla & nostris & alienis proderemus. Hũc autẽ librũ nõ eò se scripsisse illius iussu dicit, vt veri aliquid cognosceret, qnòd is è cælo ab ipso effectore creatæ naturę Deo per prophetas de illis rebus traditã doctrinã haberet, ex quo vel Paulũ hũc clarum fuisse & eximium sacerdotem, vel hoc à Iustino modestiæ causa dictum esse cognoscimus. Si prius verum est, à persona Pauli iterum beneuolentiam conciliat: si posterius à sua, quãquam etiam si superius verum sit, à sua illius lectorúmque animos conciliat, cum ait eius iussu hunc se scripsisse librum.

τῶν περὶ θεοῦ καὶ κτίσεως τοὺς λόγους πεποιημένων ἀνθρώπων, &c. id est. Hominũ qui de Deo creatáque natura disseruerũt, & quæ sequuntur.) Principiũ est libri. Duo genera ponit hominũ qui de Deo creaturísque disputauerũt: vnum eorum qui doctrinam de Deo ac creaturis à Deo per prophetas acceperũt: alterum eorũ, qui prophetarum verbis fidem

nō habuerunt,& Dei notitiæ inuentionem ſibi ac ſuis cogitationibus tribuerunt, non Deo. A partitione ergo exorditur. Ex contrariis deinceps horum duorum generum hominum in docēdo diſſimilitudinem docet. Prioris generis homines, Deū vnum eſſe docuerunt,qui originis eſt expers,qui Deum alium nec priorē, nec poſteriorem habet,qui nec ſubiectum aliquē ſibi habet,nec cōtrarium, eiuſdē æternitatis participem, & eſſentiā habet ab omni interitu liberā,actionémque nō impeditā:qui eſt mundi opifex,qui vt eſſet,& aliquid eſſet, & quodammodo permaneret, habuit illius voluntatē. Rerum enim in manēdo diſſimilitudinem explicarunt,& vnde illā habuerint. Atque hi quidē in hac doctrina & diſciplina permāſerunt omnes,nec vnquam aut à ſe aut ab aliis diſcreparunt. Illorum autem magna eſt quædam & aliorum ab aliis & ipſorum à ſe de eorum quæ ſunt,& quæ illis conueniunt diſſenſio. Quod ex Ariſtotelis primo de natura libro intelligi dicit.

τὰ μὲν ἐν ἀρχῇ τῶν ἐν γενέσει,&c.) τὰ μὲν γεναρχῆ legendum eſt, quod facile intelligi poteſt ex eo quod illi reſpōdet paulò pòſt,hoc modo,τὰ δὲ ἐκ τῶν γεναρχῶν γεγενημένα,& quæ ſequuntur.Sunt enim,vt ait,duo genera rerum quæ hic ſunt:prius genus ex aqua & terra Deus fecit,cum ait,Producat terra animam viuentem,& quæ ſequuntur,Et rurſus, producant aquæ animam viuentem ſecundum genus. Hoc rerum genus vocat Iuſtinus γεναρχὲς, id eſt,principium generis, alterum eſt, quod ex illo ortum habet, ídque ex illius ſemine.

ἀεὶ γὰρ ἔστι τι ὃ ὑπόκειται,& quæ ſequuntur.i.Semper enim aliquid ſubeſt,&c.) Primi libri de natura,cap.7.Quoniam hæc ſunt in ſeptimo capite,dubium eſt num aliqua deſint,præſertim cùm in ſuperioribus multa ſint, quæ repræhēdi potuerunt eodem modo.in Iuſtino Græco hæc deſunt,quæ in noſtra interpretatione addidi, ὥστε δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι τὸ γινόμενον ἅπαν ἀεὶ σύνθετόν ἐστι, καὶ ἔστι μέν τι τὸ γινόμενον, ἔστι δέ τι ὃ τοῦτο γίνεται. Hæc autem à librario omiſſa ſunt propter ſimilitudinem. γίνεται enim extremum verbum eſt vtroque in loco. in diuulgatis etiam exemplaribus eſt, λέγεται δὲ ἀντικεῖσθαι μὲν τὸ ἄμουσον:in Iuſtiniano autem, λέγω δὲ ἀντικεῖσθαι τὸ ἄμουσον.

ἔστι δὲ τὸ ὑποκείμενον ἀριθμῷ μὲν ἕν,&c.i. Subiectum autem numero vnum eſt, &c.) Eodem cap.i.ſeptimo. Eſt diſſimilitudo quædam in exemplaribus. In iis Ariſtotelis,quæ habemus,ſcriptum eſt,δι' ἢ τάξις, ἢ ἡ μουσική:in Iuſtino eſt, ἢ τάξις, ἢ μουσική, ſine ἢ coniunctione. in noſtris etiam,διὸ ἔστι μὲν ὡς δύο λεκτέον:in Iuſtino,δι' ὧν vitioſe,pro διό.

πόσαι μὲν οὖν αἱ ἀρχαί,&c.i. Ac illud quidem perſpicuū eſt, quot ſint, &c.) Eodem capite ſeptimo. in exemplaribus quæ diuulgata ſunt Ariſtotelis,eſt ſcriptum , καὶ πῶς πόσαι, εἴρηται:in Iuſtino non eſt,πόσαι. in noſtris eſt,ἱκανὸν γὰρ ἔσται τὸ ἕτερον:in Iuſtino ἔσται abeſt. in noſtris, ἢ πρὸς ἄλλο τι τῶν ἐχόντων : in Iuſtino, ἢ πρὸς τῶν ἄλλων τι . in noſtris, οὐδὲ ὅπως ἓν ὡς ἐστι:in Iuſtino,οὐδὲ ἓν ᾧ ἐστι.Deſunt etiam in Iuſtino multa poſt hęc verba,ἔστι δὲ τὸ ἐναντίον τοῦτο ἡ στέρησις,hæc ſcilicet,ταῦτα δὲ πῶς δύο,καὶ πῶς πλείω εἴρηται ἐν τοῖς ἄνω. πρότερον μὲν ἐλέχθη,ὅτι ἀρχαὶ τἀναντία μόνον. ὕστερον δὲ ὅτι ἀνάγκη καὶ ἄλλο τι ὑποκεῖσθαι, καὶ εἶναι τρία. ἐκ δὲ τῶν νῦν φανερόν, τίς ἡ διαφορὰ τῶν ἐναντίων, καὶ πῶς ἔχουσιν αἱ ἀρχαὶ πρὸς ἀλλήλας, καὶ τί τὸ ὑποκείμενον.Sequitur in Iuſtini codice hoc,πότερον δὲ οὐσία τὸ εἶδος , ἢ τὸ ὑποκείμενον, tantùm,ſed deſunt hæc,οὔπω δῆλον.Legendum eſt etiam in quinto Iuſtini argumento,non οὐσίας,,ſed ἀπουσίας,hoc loco,ἔστι δὲ ἐκ τῆς ἀπουσίας τοῦ εἴδους ἡ στέρησις.

ζητήσαντες οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι,&c.) 8.cap. in exemplaribus Ariſtotelis quæ excuſa ſunt,eſt ſcriptum in præſenti,ζητοῦντες. in iiſdem eſt etiam,φύσιν τῶν ὄντων: in Iuſtino eſt,φύσιν τὴν τῶν ὄντων. in eiſdem eſt,οὐδὲν ἂν γίνεσθαι:in Iuſtino,οὐθέν.

ἡμεῖς δὲ λέγομεν,ὅτι τὸ ἐξ ὄντος,&c.i.Nos autem confirmamus,ex eo quod ſit,&c.) Eodē cap. 8. in exemplaribus Ariſtotelis ſcriptum eſt, ὥστ' ἐπειδὴ τοῦτο διχῶς λέγεται: in Iuſtiniano eſt,ὥστε ἐπειδὴ τοῦτο διχῶς ἢ πλεοναχῶς λέγεται. in noſtris, οὐχ ᾗ ἰατρός : in Iuſtiniano, οὐχ ᾗ ἰατρὸς δέ. in noſtris,ἐπεὶ δὲ λέγομεν κυρίως μάλιστα τὸν ἰατρόν: in Iuſtiniano,ἐπειδὴ μάλιστα λέγομεν τὸν ἰατρὸν κυρίως,in noſtris,ταῦτα πάσχει ἢ ποιεῖ:in Iuſtiniano,ποιεῖ,ἢ πάσχει.in noſtris,ὥστε μηδέν: in Iuſtinano,ὥστε μηθέν. in noſtris, γίγνοιτο μὲν γὰρ ἄν: in Iuſtiniano,ἂν deeſt. in noſtris,εἰ δέ τι μέλλει,in præſenti indicandi modi: in Iuſtiniano,μέλλοι,in præſenti optandi . Octauo etiam Iuſtini argumento,ὑποκειμένης, in patrio caſu ſingulari,

non

non ὑποκειμένοις, in dandi casu numero multitudinis legendum est, quia ad patrium casum hunc ἐκ τῆς στερήσεως pertinet.

Ἡμεῖς γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερόν εἶναί φαμεν, &c.i. Nos enim aliud materiam, aliud priuationem esse dicimus, &c.) cap.9. in nostris scriptum est, ἡμεῖς μὲν γάρ: in Iustiniano μὲν deest. in nostris, τὴν δὲ στέρησιν καθ' αὑτήν: in Iustiniano, καὶ καθ' αὑτήν. in nostris, καὶ τὴν μὲν ἐγγὺς καὶ οὐσίαν πως τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν, οὐδαμῶς: in Iustino, καὶ οὐσίαν πως, τὴν δὲ οὐδαμῶς. in nostris, οἱ δὲ τὸ μὴ ὄν, τὸ μέγα: in Iustino, οἱ δὲ τὸ μὴ ὂν εἶναί φασι, τὸ μέγα. in nostris, ἢ τὸ ἀμφότερον: in Iustino, ἢ abest.

Ἡ μὲν γὰρ ὑπομένουσα, συναιτία τῇ μορφῇ, &c.i. Ea enim quæ permanet, &c.) In Aristotelis exemplaribus, quæ excusa sunt, scriptum est, ἡ δ' ἑτέρα μοῖρα: in Iustino, ἡ δὲ ἑτέρα. In nostris, πολλάκις φαντασθείη τῷ πρὸς τὸ κακοποιὸν αὐτῆς ἀτενίζοντι τὴν διάνοιαν: in Iustiniano vitiose vno verbo, φαντασθέντα. Scribendum est igitur vt in nostris. in nostris, οὐδ' εἶναι τὸ παράπαν: in Iustiniano, οὐδὲ ἔστιν. in nostris, τὸ δὲ ὃ πέφυκεν ἐφίεσθαι: in Iustiniano, τὸ δὲ πεφυκέναι. in nostris, κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν: in Iustiniano, κατὰ τὴν φύσιν αὐτοῦ. in nostris, τῆς ἑαυτοῦ φθορᾶς: in Iustiniano, τὴν αὐτοῦ. in nostris, καί τοι ὑπὸ αὐτὸ ἑαυτοῦ: in Iustiniano, ὑπὸ αὐτοῦ. in nostris malè, φθαρτὰ γὰρ δὴ ἀλλήλων ἐναντία: in Iustiniano rectè, φθαρτικὰ γὰρ δὴ ἀλλήλων τὰ ἐναντία. in nostris etiam malè, ἀλλὰ τοῦτ' ἔστιν ἡ ὕλη, ὥσπερ ἂν εἰ θῆλυ: in Iustiniano rectè, ἀλλὰ τοῦτό ἐστιν ἡ ὕλη ὥσπερ ἂν εἰ θῆλυ. in nostris, ἀγέννητον duplici ν: in Iustiniano cũ simplici. in nostris, τοῦτο δ' ἔστιν αὐτῆς ἡ φύσις, in patrio casu: in Iustiniano, αὐτὴ ἡ φύσις. in nostris, ὑποκείμενον ἑκάστου, ἐξ οὗ: in Iustiniano ἑκάστου deest. in nostris, εἰς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον: in Iustiniano, εἰς τοῦτο ἔσχατον ἀφίξεται.

Ἕνα μὲν οὖν τρόπον ἡ φύσις οὕτω λέγεται. &c.i. Vno quidem modo natura definitur sic, & quæ sequuntur.) Secundi libri de natura primo capite. Non discrepant hoc loco exẽplaria.

Ὥστε ἄλλον τρόπον ἡ φύσις ἂν εἴη, &c.i. Quocirca alio modo natura sit necesse est, &c.) ibidem. Nulla est etiam hoc in loco dissimilitudo, nisi quòd in iis Aristotelis exemplaribus, quæ typis excusa sunt, est ἐν ἑαυτοῖς, & τὸ δ' ἐκ τούτων: in iustino autem, ἐν αὐτοῖς, & τὸ δὲ ἐκ τούτων.

Ἐν μὲν οὖν τοῖς κατὰ τέχνην, &c.i. Ac in iis quidem quæ ab arte proficiscuntur, &c.) Eiusdem libri capite secundo extremo. Nihil est hoc loco in exemplaribus dissimilitudinis.

Ἐπειδὴ δ' ἐστὶ τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη αἴτια, &c. id est, Quoniam autem casus & fortuna causæ sunt, &c.) Eiusdem libri capite sexto. Quoniam locus qui primus hunc sequitur ex quarto capite sumptus est, & hic, vt dixi, ex sexto, fortassis traiecta sunt. Dissimilitudines sunt huiusmodi. in iis exemplaribus quæ formis excusa sunt, scriptũ est, ἐπεὶ δ' ἐστὶ, in iustiniano, vt iã dictũ est, ἐπειδὴ ἐστι. in nostris, ὧν ἂν ἡ γένοιτο νοῦς αἴτιος: in iustiniano ἡ coniunctio deest. in nostris, καὶ ἡ τύχη ἢ νοῦς: in iustiniano καὶ abest. Atque hæ leues sunt. Quæ autem sequitur magna & insignis. in nostris, ὥστε εἰ ὅτι μάλιστα τοῦ οὐρανοῦ αἴτιον τὸ αὐτόματον: in iustiniano, εἰ abest, & pro οὐρανοῦ vitiose legitur ἀνθρώπου, vt mihi perspicuum videtur ex superioribus. Suprà enim dixit capite quarto esse nõnullos qui etiam cœli huius causam casum esse dicerent. Atque illud ipsum est, quod in iustiniano codice sequitur, quódque fortassis traiectum esse dixi.

Εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τοῦ οὐρανοῦ τοῦδε, &c.) capite quarto eiusdem. in nostris est scriptum, εἰσὶ δέ τινες: in iustiniano, τινὲς deest. in nostris, γίνεσθαί φασι: in iustiniano, φασὶ γενέσθαι. in nostris, λέγοντες τὰ μὲν ζῶα: in iustiniano, λέγοντες δ' γὰρ τὰ μὲν ζῶα. delenda ergo sunt hæc duo, τὸ γάρ. in nostris, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον εἶναι αἴτιον: in iustiniano, ἢ τοιοῦτον ἕτερον εἶναί τι. in nostris, γενέσθαι, & in nominandi casu, ἐλαία, ἐκ δὲ τοιουδὶ ἄνθρωπος: in iustiniano, γίνεσθαι, & in accusandi casu, ἐλαίαν, ἐκ δὲ τοιουδὶ ἄνθρωπον. in nostris, τὸν δὲ οὐρανὸν καὶ τὰ θειότερα: in iustiniano, tantùm, τὰ δὲ θειότερα. in nostris, ἀπὸ αὐτομάτου γενέσθαι. τοιαύτην δ' αἰτίαν: in iustiniano, γίνεσθαι, τοιαύτην δὲ αἰτίαν. in nostris, καίτοι γε εἰ οὕτως ἔχει τοῦτό γ' αὐτὸ αἴτιον εἴη ἂν ἐπιστάσεως: in iustiniano non est γε primo loco, & pro ἐπιστάσεως, est, ζητήσεως. in nostris, πρὸς γὰρ τὸ, in accusandi casu: in iustiniano melius in dandi, πρὸς γὰρ τῷ. in nostris, καὶ ἄλλως ἄτοπον: in iustiniano, ἄλογον. in nostris, οἱ δὲ τοῖς μὴ ἀπὸ τύχης: in iustiniano, deest μή. in nostris, καί τοι γε εἰκός γε ἦν τοὐναντίον γενέσθαι: in iustiniano, τὸ ἐναντίον tantùm, cùm sit postremum verbum eorum quæ profert hoc loco. Ex quo intelligimus γενέσθαι verbum

addendum esse, vt sit plena perfectáque oratio. Hoc loco illud notandum est, libros Aristotelis Iustini ætate in capita diuisa distinctáque fuisse. Nam caput vndecimum & duodecimum nominat secundi libri de natura, & paulò infrà duodecimum & decimumtertium de cœlo.

ὅτι μὲν οὖν οὐ γέγονεν ὁ πᾶς οὐρανός, &c. id est, Omne quidem cœlum nec ortum esse, &c.) Secundi libri de cœlo capite primo. Est autem principium libri. In iis exemplaribus Aristotelis quæ typis excusa sunt, scriptum est, ὅτι μὲν οὖν οὔτε: in Iustiniano est οὐ. in nostris, καθάπερ φασί τινες: in Iustiniano, τινές φασι. in nostris, ἔξεστι λαβεῖν: in Iustiniano, ἐξέσται λαμβάνειν.

ταῦτα περὶ τῆς ἀγεννησίας τοῦ οὐρανοῦ εἰπὼν Ἀριστοτέλης, ὅρα οἷα πάλιν περὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ λέγει, &c.) Iustinus hortatur nos hoc loco, cùm Aristoteles superioribus verbis libro secundo de cœlo de illius originis priuatione dixerit, vt videamus quæ rursus de eiusdem origine disserat. Atqui verba quæ profert ex tertio primi libri capite de eius originis ortúsque priuatione loquuntur. Quoniam autem pars tantùm ab eo profertur, totum locũ proferam, vt & hoc quod dixi, & dissimilitudo locorum intelligatur. εἰ δὴ τούτῳ μηδὲν ἐναντίον ἐνδέχεται εἶναι, διὰ τὸ καὶ τῇ φορᾷ τῇ κύκλῳ μὴ εἶναι ἄν τινα ἐναντίαν κίνησιν· ὀρθῶς ἔοικεν ἡ φύσις τὸ μέλλον ἔσεσθαι ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον ἐξελέσθαι ἐκ τῶν ἐναντίων· ἐν τοῖς ἐναντίοις γὰρ ἡ γένεσις καὶ ἡ φθορά. id est. Quòd si huic nihil contrarium esse potest, propterea quòd motui qui in orbem circúmque fertur, non possit esse motus vllus contrarius: rectè natura id quod originis & interitus expers futurũ erat, exemisse ex cõtrariis videtur: quandoquidem ortus & interitus cernuntur in cõtrariis. Ex iis quidem id quod dixi intelligitur, Aristotelem non loqui de cœli origine, quod Iustinus vult, nisi locus hic pro alio positus est. Quanquam ea quæ affert vt Aristotelem refellat, hæc eum posuisse confirmant. In Iustino hæc desiderantur quæ sunt in nostris, καὶ ἐκ τῆς ἐν τοῖς μεγέθεσι διαιρέσεως. χρῶνται γὰρ καὶ οἱ μαθηματικοὶ τῷ ἀπείρῳ. ἔτι.

οὐθὲν γὰρ ἀπὸ τ' αὐτομάτου, &c.) Primo libro de cœlo extremo, capite duodecimo. in nostris est, ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου. itémque, αὐτ' ἄφθαρτον αὐτ' ἀγένητον: in Iustiniano est οὔτε vtroque in loco.

Διτταὶ δὲ ἀρχαὶ αἱ κινοῦσαι φυσικῶς, &c.) Secundi libri de natura capite septimo. in nostris est, δύο δ' αἱ ἀρχαί. itémque, τοιοῦτο δέ ἐστιν: in Iustiniano, τοιοῦτον. in nostris, ὥσπερ τό, τε παντελῶς ἀκίνητον: in Iustiniano malè, ὥσ τε τό, τε.

τοῦ δὲ εἶναι ἄπειρον, &c.) Tertij libri de natura capite quarto. in nostris est, τοῦ δ' εἶναί τι ἄπειρον: in Iustiniano, vt paulò antè positum est. in nostris, ἡ πίστις ἐκ πέντε μάλιστα ἂν συμβαίνοι σκοποῦσιν, ἔκ τε τοῦ χρόνου: in Iustiniano, τὴν πίστιν λαμβάνουσιν ἔκ τε τοῦ χρόνου. Post hæc verba, οὗτος γὰρ ἄπειρός ἐστι: in Iustiniano hæc desiderantur, quæ sunt in nostris, καὶ ἐκ τῆς ἐν τοῖς μεγέθεσι διαιρέσεως. χρῶνται γὰρ καὶ οἱ μαθηματικοὶ τῷ ἀπείρῳ. ἔτι.

ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀριθμὸς οὕτως, &c.) Eiusdem libri capite quinto. in nostris est, ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἀριθμός. in eisdem, ἀριθμητὸν γὰρ ὁ ἀριθμὸς ἢ τὸ ἔχον ἀριθμόν: in Iustiniano hæc postrema, ἢ τὸ ἔχον ἀριθμὸν desunt.

ὅτι δὲ εἰ μή ἐστιν ἄπειρον, &c.) Principium est sexti capitis eiusdem libri. in nostris est, ὅτι δὲ εἰ μή ἐστιν ἄπειρον ἁπλῶς: in Iustiniano est οὐδαμῶς. Alia nulla est dissimilitudo.

τὸ ἄπειρον, ἔστι μὲν προσθέσει. &c.) Ibidem, in nostris est, ἔστι δὲ καὶ ἀφαιρέσει: in Iustiniano καὶ deest. in nostris, διαιρέσει δ' ἐστίν: in Iustiniano, δέ ἐστι. Post hæc verba in Iustiniano hæc desunt, οὐ γὰρ χαλεπὸν ἀνελεῖν τὰς ἀτόμους γραμμάς: quæ sunt in nostris. Bis est in nostris τοῦτ': in Iustiniano, τουτί. in nostris, οὕτω καὶ ἄπειρόν τι: in Iustiniano, οὕτω τι καὶ ἄπειρον. in nostris, ἀλλ' ἐπεὶ πολλαχῶς τὸ εἶναι: in Iustiniano melius, τὸ δυνάμει εἶναι. in nostris, καὶ γὰρ ἐπὶ τούτῳ: in Iustiniano, ἐπὶ τούτων: in Iustiniano post hæc verba, καὶ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ, hoc totum desideratur, ὀλύμπια γάρ ἐστι καὶ τῷ δύνασθαι τὸν ἀγῶνα γίνεσθαι, καὶ τῷ γίνεσθαι. ἄλλως δὲ ἔν τε τῷ χρόνῳ δῆλον τὸ ἄπειρον, καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐπὶ τῆς διαιρέσεως τῶν μεγεθῶν. in nostris est, τῷ αἰεὶ ἄλλο: in Iustiniano, ἀεί. in nostris, καὶ τὸ λαμβανόμενον μὲν: in Iustiniano, μὲν non est. in nostris, ἀλλ' αἰεί γε ἕτερον: in Iustiniano, ἀλλ' ἀεί.

οὐδ' ἔτι ἔξω ἐστί, τοῦτο ἄπειρόν ἐστι, &c.) Hic locus, quemadmodum in margine interpretationis

tionis nostræ notaui, non est in vllo Græco Aristotelis exemplari eorum quæ excusa typis habemus: quod quidem mirum videri mihi solet, idémque cæteris vsu venturum esse arbitror. Neque enim hæc vt Aristotelis verba Iustinus protulisset atque refellisset, nisi ea in Aristotelis codice quem habuit, legisset.

ἄπειροι αἱ διχοτομίαι τοῦ μεγέθους, &c.) in eiusdem libri capite septimo. Hic locus in Iustini qui typis excusus editus est, codice, eo ordine collocatus est, quo argumenta quibus Iustinus Aristotelis verba quæ profert, refellit. itaque ad caput versus referendus est, notandúsque quo ex libro sumptus est, vt cætera, ne posthac quisquam in errore versetur. in nostris exemplaribus scriptum est, ἄπειροι γὰρ αἱ διχοτομίαι, &c. in iustiniano γὰρ deest. in nostris paulò pòst, ἐνεργείᾳ δ' οὐ: in iustiniano sine apostropho, δὲ οὐ. in nostris, ἀλλ' οὐ χωρισθεὶς ὁ ἀριθμὸς οὗτος τῆς διχοτομίας: in iustiniano, ἀλλ' οὐχ ὁ χωρισθεὶς οὗτος ὁ ἀριθμός.

τὸ γὰρ μὴ ὂν οὐδαμοῦ εἶναι.) Libri quarti capite primo secundo ferè versu. Nihil est dissimilitudinis in his paucis verbis in exemplaribus.

Δόξειε δ' ἂν καὶ Ἡσίοδος ὀρθῶς λέγειν, &c.) ibidem, decimonono ferè versu pòst. Hæc sunt dissimilia. in nostris, γαῖ' δ' εὐρύστερνος: in iustiniano malè, γαῖα δ' εὐρύστερνος, propter rationem legésque carminis, & Græcorum in non absumendis vocalibus consuetudinem. in nostris, εἰ δ' ἔστι: in iustiniano, εἰ δὲ ἔστι. in nostris, οὗ γὰρ ἄνευ, τῶν ἄλλων οὐδὲν ἔστιν, ἐκεῖνο δ' ἄνευ τῶν ἄλλων ἀνάγκη πρῶτον εἶναι: in iustiniano malè, ἐκεῖνο τῶν ἄλλων ἀνάγκη πρῶτον εἶναι.

μέγεθος μὲν γὰρ ἔχει ὁ τόπος, &c.) ibidem octauo ferè pòst versu. Additum est in margine, quod tu velim, deleas. in nostris tantùm est, μέγεθος μὲν γὰρ ἔχει, σῶμα δὲ οὔ.

πρῶτον μὲν δεῖ κατανοῆσαι, &c.) Eiusdem libri capite quarto. in nostris est, εἰ μὴ κίνησίς τις ἦν: in iustiniano τις deest. in nostris, ὅτι αἰεὶ ἐν κινήσει: in iustiniano malè, ἀεὶ ἐκ κινήσει.

ὡς γὰρ εἰ ἀλλοιοῦται, &c.) ibidem vigesimo ferè versu pòst. in nostris est, ὥσπερ γάρ. in eisdem malè est in eadem circumscriptione bis πάλιν, pro quo rectè est πάλαι in iustiniano. Verba sunt, ὥσπερ γὰρ εἰ ἀλλοιοῦται, ἔστι τε ὃ νῦν μὲν λευκόν, πάλιν δὲ μέλαν, καὶ νῦν μὲν σκληρόν, πάλιν δὲ μαλακόν: in iustiniano autem, ὡς γοῦν εἰ ἀλλοιοῦται, ἔστι τοῦτο ὃ νῦν μὲν λευκὸν πάλαι δὲ μέλαν. cætera desiderantur. Quanquam πάλιν rectè esse defendi potest, vt ad futurum referatur, & illud ad paulò antè præteritum tempus. in nostris præterea est, ὅτι οὗ ἦν ἀήρ: in iustiniano, ὅτι ὗ ἦν ἀήρ.

πᾶν σῶμα ἢ κατὰ φορὰν, &c.) Eiusdem libri capite quinto. in nostris est, ἢ κατ' αὔξησιν κινητόν: in iustiniano κατ' deest. in nostris, οὐρανοῦ ὅλος, de cælo est sermo: in iustiniano est ὅλως aduerbium. inscriptio in iustino corrigenda est. Significat enim hæc in secundo libro esse, & sunt in quarto, vt diximus.

στιγμῆς οὐκ ἔστιν ὁ τόπος.) ibidem. Verba Aristotelis sunt in infinito modo, οὔτε γὰρ συμβαίνεσθαι ἀνάγκη τὸν τόπον, ὅτι στιγμῆς εἶναι τόπον, & quæ sequuntur.

καὶ ἔστιν ὁ τόπος ἔν ποῦ, &c.) ibidem tertio pòst ferè versu. in nostris est, ἀλλ' ὡς τὸ πέρας, τὸ articulus non est in iustiniano. in nostris, οὐ γοῦν πᾶν τὸ ὂν ἐν τόπῳ: in iustiniano, οὐ γὰρ ἐν τόπῳ τὸ ὄν.

ὅτι μὲν οὖν ἢ ὅλως οὐκ ἔστιν, &c.) Eiusdem libri quarti capite decimo. in nostris priore loco ἢ coniunctio non est, quæ est in iustiniano. in nostris, τὸ δ' ἐκ μὴ ὄντων: in iustiniano, τὸ δέ. in nostris vitiose, κατέχειν pro μετέχειν, hoc loco, ἀδύνατον ἂν δόξειε κατέχειν ποτὲ οὐσίας: in iustiniano est quidem μετέχειν, sed ποτὲ abest. in nostris, παντὸς μείζον: in iustiniano melius, παντὸς γὰρ μείζον. in nostris, ἔστι δ' οὐδέν: in iustiniano, ἔστι δὲ οὐθέν. in nostris, μετρεῖ τι γὰρ τὸ μέρος: in iustiniano, μετρεῖται.

ὅτι τοίνυν οὔτε κίνησις, &c.) Eiusdem quarti libri capite vndecimo. Nihil est in exemplaribus dissimilitudinis, nisi quòd in nostris est οὖν, non τοίνυν.

ὅσον γὰρ ἡ κίνησις, &c.) ibidem sexto ferè versu pòst. Consentiunt hìc exemplaria.

τότε φαμὲν γεγονέναι χρόνον, &c.) ibidem paulò infrà sexto ferè versu. in nostris est, καὶ τότε, &c. itémque, καὶ μεταξύ τι αὐτῶν ἕτερον: in iustiniano, καὶ τὸ μεταξὺ αὐτῶν ἕτερον. in nostris, ὅταν γοῦν τὰ ἄκρα ἕτερα: in iustiniano, ὅταν γὰρ ἕτερα τὰ ἄκρα. in nostris, τὸ γὰρ ὁριζόμενον τῶν νῦν: in iustiniano melius, τῷ νῦν, in dandi casu singulari. in iustiniano post

hæc verba, χρόνος εἶναι δοκεῖ, multa desiderantur, quæ subiecimus, καὶ ὑπάρχειν. ὅταν μὲν γὰρ ὡς ἓν τὸ νῦν αἰσθανώμεθα, καὶ μὴ ἤτοι ὡς πρότερον καὶ ὕστερον ἐν τῇ κινήσει, ἢ ὡς τὸ αὐτὸ μὲν, προτέρου δὲ καὶ ὑστέρου τινός, οὐ δοκεῖ χρόνος γεγονέναι οὐδείς, ὅτι οὐδὲ κίνησις. ὅταν δὲ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον, τότε λέγομεν χρόνον, id est, atque positum sit. Ac cùm vt vnum punctū temporis sentimus, nec quatenus aliquid est vt prius & posterius in motu, aut vt idem quidem, sed prioris & posterioris cuiuspiam: tum nullum tempus præteriisse videtur, propterea quòd nec motus. Cùm autem prius & posterius sentimus, tum tempus dicimus. In nostris est, τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ χρόνος: in Iustiniano, ἐστὶ γὰρ ὁ χρόνος. in nostris, καὶ ἔλαττον κρινόμενον ἀριθμῷ: in Iustiniano male, κρινόμενον ἀριθμῷ.

